9.

DIVINI NUMINIS AUSPICIO
SUMMI ARCHIATRI!

DISPUTATIONEM HANC
INAUGURALEM,
De

MELANCHO-
LIA HYPOCHON-
DRIACA,

Juſſu, decreto ac conſenſu,

Ampliſſimæ Facultatis Medicæ in A-
cademiâ Wittebergenſi celeberrimâ,

PRÆSIDE

DN. MARCO BANZERO,

Medic. D. Ejusdemq; Profeſs: Ordinar. & Facult.
Senior, ac p. t. DECANO, Promotore ac Præ-
ceptore ſuo devenerando,

Pro
Impetrandâ in Arte Medicâ Honores ſummos,
ac privilegia petendi, LICENTIA,

Publico eruditorum Examini ac Cenſuræ ſubmittit

PAULUS SCHRÖTER, Lipſ.

In Auditorio majori, horis ante & pomeridianis,
Ad diem XX. Martii, Anno 1645.

WITTENBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

Σὺν Θεῷ.

PROOEMIUM.

Sanctius his animal, mentisq́; capacius altæ
Deerat adhuc: & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt,

non minus ſcitè quàm verè *Ovid.1.Metam.* canit: & *Sophocleum* illud geminum huic maximèq; dignum eſt, quod adſcribatur: nihil æquè ſtupendum inquit, ac Hominem natura parens produxit unquam. Hunc enim, pulcherrimum illud ac ſplendidiſsimum, ſtupendumq; verè, ab univerſi hujus Conditore, mirificâ ſolertiâ, ac admirabili prorſus artificio extructum opificium eſſe; tot creatoris ſui impreſſa quæ habet veſtigia, tot architecti ſui manus quas oſtendit Sapientes, totq; ab eodem variis ac admirandis prorſus, quibus adornatum eſt dotibus, demonſtrant. Ut proinde meritò ſemper viros ſapientes in ſui rapuerit admirationem, amoremq; traxerit. Hincq; etiam certatim quaſi illud condignis extollere laudibus & elogiis anniſi ſunt. Sic *Mercur*: ille *Triſmegiſt.* Miraculum magnum & animal adorandum appellare, haud dubitavit. *Divinus* verò *Plato*, θαῦμα θαυμάτων ac divinum miraculum vocitandum putavit; ac Zoroaſt: ille vetuſtiſs. exclamavit: ὦ ἄνθρωπε, πολυμηχανῆτης τῆς Φύσεως ἄγαλμα! Eloquentiæq; Romanæ parens *Cicero*: Animal plenum rationis & conſilii, dicere voluit. Quæ tot Virorum magnorum encomia ac laudes inſignes, non ideò tantum homini datæ ſunt; nec hujus animalis nobilitas præſtantiaq; inde ſolum eluceſcit: quod cum *Ariſtot. 8. Phyſ. 2. t. 27.* pleriq; Virorum ſapientum, ac in naturæ receſsibus occultis indagandis omnem qui poſuerunt operam, claroſq; ac illuſtres poſteris ſe præſtiterunt: Omnium, quæ univerſus hic mundus ſuo complectitur ambitu, à Creatore in eum collata eſſe ſimulacra; eumq; verè Compendium & Epitome, Cunctarum in eo productarum rerum, exiſtere, crediderunt. Sed quod maximum omnium, venerandamq; hominis dignitatem oſtendit: Summus rerum Conditor, parvo huic mundo Sui inſculpſit imaginem, animâq;

 ratio-

rationali inſtructum, ex omnium reliquorum animantium conſortio non exemit tantum; ſed & ſupra cætera evectum, divinitatis quodammodo participem fecit. Mens enim humana, tam anguſtis nunquam coërcetur cancellis; nec corporis ita immerſa eſt involucris; ut in iis tantum, quæ univerſus hic habet mundus, perſcrutandis ac inveſtigandis occupetur & acquiſcat: Variarumq; Scientiarum ac artium, humanâ ſolertiâ juventarum complexu ſatietur: ac ſublimia quæq;, quorum humanum capax fieri poteſt ingenium, penetret non tantum ac inquirat; ſed ad ea inſuper, quæ omnem humani ingenii ſolertiæq; vim & captum ſuperant, ſe effert: Deumq; ipſum quodammodo in ſuis contemplatur idiomatis ac proprietatibus; Divinaq; ſi rimari non licet omnia, miratur tamen myſteria. Hanc verò nobiliſsimam ac divinam quaſi noſtri partem, non in eâ ſemper, quam à conditore accepit, perſiſtere integritate; ſed proh dolor! non rarò ita craſsis ac profundis tenebrarum involvi nebulis, ut, qui rationis lumine irradiati ſatis fuerunt, variis imaginationis deluſi ſpectris, prorſus ejus uſu modo deſtituantur; næ illud omnem voluptatis ſenſum nobis excutit, lætitiæq; ac gaudii modum, in luctum ipſum convertit? Satis certè miſeriarum vita humana haberet, ac calamitatum; ſi corporis ſolum conflictaretur morbis, ac pulcherrimum illud ſplendidiſsimumq; Summi Creatoris opificium, hujus tantum deturparetur fœditatibus; quorum quidem omnium Medentium conſenſu, tanta eſt copia ac multitudo, ut in numerum non cadat; nec in ordinem facilè redigi poſsit. At regiam mentis ſedem, Numinis Simulacrum, Divinitatis quod emittit ſcintillas; quaq; homo quodammodo ſuperioris particps factus naturæ; labem iſtam trahere, ac ſede ſuâ emotam, depravari non tantum; ſed & planè aboleri, nonne deploratiſsimam vitæ humanæ nobis ob oculos ponit conditionem? & illud amittere bonum, quo conditoris ſui opera contemplari; ac admirari in iiſdem ſummam ejus Sapientiam, munificentiamq; cognoſcere ac collaudare debeat, nonne calamitatis ac ſummæ fragilitatis noſtræ ad nos admonet? Et quis ſiccis oculis ac ſine maximo dolore poterit recogitare, quam nobili theſauro exciderimus, ſi divinæ mentis voluntatem ex lucidiſsimo ejus verbo per horrendas intellectus occœcati tenebras

aſſequi

aſſequi & cognoſcere amplius non licet? Non uno verò, ſed pluri-mis, nobiliſsimo hoc, ac nullis opibus redimendo bono orbari, cum homo poſsit modis; Variæq; ſint cauſæ, quibus anima rationalis, corporis caduci incluſa ergaſtulo; ſuo deſtitui uſu, ac operationibus intercludi queat. Dum vel à naturæ primordiis eam cerebri ſpirituumq; nactus eſt conſtitutionem, rationis uſui quæ obſit; vel morbo aliquo aut causâ violentâ ita læditur; ut fatuus ſtupidusq; evadat, omniq; judicii vigore careat. Vel dum vaporibus calidis, fuliginibusq; fervidis in febribus ardentibus, aliisq; ad rationis arcem elatis, aut inflammatione ejus, aut partium inveſtientium, ſpiritus in opere ſuo turbantur, functionesq; principes depravantur, variaq; loquuntur homines deliramenta: quæ deliorum ſpecies, priores quidem, παραφροσύνη, ac παραφρενίτης; poſterior φρενίτης tantum vocatur. Vel humorum aduſtorum igneamq; ac fervidam diſpoſitionem adeptorum, vaporibus ſpiritibus commiſtis, in furorem ac rabiem quaſi aguntur homines, beſtiarumq;, depoſitâ omni humanitate, naturam induere videntur: quæ delirii ſpecies μανία appellatur; vel amore inſano ſtimulantur; vel dum vaporibus ac fumis melancholicis ac tenebricoſis ſpiritus inquinantibus ac obfuſcantibus, cum mœrore ac triſtitiâ delirant. Ego ex horum omnium numero hanc poſtremam delirii ſpeciem, Divino adjutus auxilio, in præſenti pertractare conabor, quæ noto hodie ſatis, iisq; nimiam ſtudiis qui navant operam familiari cumprimis affectui, Hypochondriaco dicto, non rarò conjungitur, ex eoq; ſuam ducit originem. In quibus, ſi forſan non omnium expectationi ſatisfecero, vel in quibusdam hallucinatus fuero, hominem me eſſe cogitabo; inq; meos lapſus ſeverius animadvertenti *Galen.* illud *2. d. compoſ. med. ſec. loc. c. 1.* offeram: Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράφοντα.

Summus Archiater meis adſpiret feliciter cœptis.

APHORIS. I.

Melancholiæ Hypochondricæ nomen, à Cauſâ & Sede materiæ ſeu mineræ morbificæ ſumitur.

χόλιον.

NOminis declaratio ac deductio, licet ad curationem rectè inſtituendam ac peragendam faciat parum, vel omninò nihil: non enim verbis, ſed herbis Medicum ſuo defungi munere, vetus habet proverbium; tamen cum ut *Cicero* ait: Omnis cum rectâ ratione de re aliquâ ſuſcepta tractatio, à nominis proficiſci debeat explicatione. Et, uti *Scalig. Exercit.1. Sect.1.* dicit: à nominis ſeu vocis conſideratione, ſæpenumero provehimur in rei perceptionem; nominaq; ſint ſymbola rerum. Et nos, ne in aliquo defeciſſe, aut muneri noſtro defuiſſe, videamur; vel cujusquam ſubeamus reprehenſionem, ac cenſuram ſeveriorem experiamur; meritò inde diſſertationis noſtræ ducimus filum.

MELANCHOLIA autem, quanquam hic morbi non humoris nomen ſit: uti etiam apud *Hippocr. Aphor.14. Sect.3 & lib. d. aër. aqu. & loc.* tamen ex illorum affectuum præternaturam genere eſt, qui adſtipulante *Galen. 2. med. meth. c.2. & 3. d. loc. aff. c.7.* nomen à cauſa ſortiti ſunt; ſeu materiâ ac minerâ, quæ illos producit, ac fovet. Humoris verò melancholici, ita ſtrictè ac pro excremento ſumpti, duo eſſe genera. UNUM excrementitium naturalem, qui fex quaſi ac limus ſangvinis, & μέλας χυμὸς, melancholiaq; in ſpecie dicitur; cumprimisq; circa Lienem cumulatur, eſtq; coctionis ejus excrementum. ALTERUM μέλαιαν χολὴν atram bilem; qui ex aduſtione ſangvinis humorumq; reliquorum, bilis nimirum ac melancholiæ provenit. Cum *Gal. loc. 2. de fac. nat. c.9. Communis German. præceptor Celeberr. D. D. Sennert. l. 2. Inſtit. medic. part. 2. c. 6. ac lib. 1. med. pr. part. 2. c. 6.* docet; quo cum & *Petr. Foreſt. l. 10. Obſerv. 18. in Schol. Amat. Luſitan. Cur. med. cent. 4. Cur. 42. Hier: Mercurial. d. aff. cap. & part. ann. l. 1. c. 10. D. Caſp: Hoffman. in libr. de uſu Lienis*, de priori maximè; item *Gorræ. definit. Medic.* conſentiunt.

De quo verò in præſenti agere inſtituimus affectu, ex eorum numero eſt, qui è prioris generis humore ortum ſuum ducit; quando

nimi

nimirum is circa Hypochondria cumulatur, indeq; vapores congeneres ad cerebrum mittit, ſpiritusq; animales corrumpit ac obfuſcat, adq; munia ſua obeunda ineptos reddit, functionesq; principes per eas, ut inſtrumenta proxima, exequendas, depravat ac interturbat. ALTERIUS verò, utpote maniam, affectum prorſus diverſum producentis, conſideratio, non eſt hujus loci. Quanquam docente ita *Galen. Hippocr. aph. 21 & 56. S. 6.* impropriè vocabulo manias noſtrum indigitet.

HYPOCHONDRIACA verò dicitur; quod ex locis iſtis hoc nomine appellatis, originem trahat ac prodeat, materiaq; ac minera, hunc affectum, ut ſui prolem producens, ibi genita ſit ac ſedem habeat. *Senn. l. 2. inſt. p. 3. S. 2. c. 4. & lib. 1. pr. p. 2. c. 12.* Arabibus vocatur MIRACHIALIS MELANCHOLIA, quod cauſa ejus in Mirach, id eſt, infimo ventre, conſiſtat. Græcis Φυσώδης ac vulgo FLATULENTA appellatur. Quod qui ea labbrant, crebris ructibus ac flatibus in ventriculo ac inteſtinis collectis, moleſtentur. Celſo PRÆCORDIALIS dicitur, quod præcordia occupet.

APHOR. II.

Melancholia Hypochondriaca in ſtrictâ non latâ ſignificatione hic accipitur.

Σχόλιον.

HYPOCHONDRIA variorum morborum, ac innumerorum ferè affectuum cauſam in ſe continere ac fovere; plurimisq; corporis noſtri calamitatibus morboſis fomitem inde ſuppeditari poſſe; exq; collectis in iisdem vitioſis humoribus, ejus decus variis modis deturpari ac vigorem deſtrui, apud omnes Medicin. proceres in confeſſo eſt: ut rectè *Fernel: lib. 6. d. part. morb. ac Symptom. c. 7.* dicat: *Ego hoc affirmo & profiteor, Choleræ, melancholiæ, atrophiæ, diarrhææ, dyſenteriæ, cachexiæ, langworis, lentarum ac errantium febrium, latentium deniq; morborum cauſas me his in ſedibus plerumq; adinveniſſe.* Cujus ſententiæ quoque *Joan. Freytag. in tract: german. d. melanchol. hypochondr. c. 2.* ſubſcribit: & *Celeberr. Senn. l. 3. pr. med. p. 5. c. 1.* inquit: *Omninò pauci morbi ſunt, qui non ex hiſce locis habeant originem.* Attamen, pro humoris vitioſi naturâ, partisq; affectæ ratione, iſti omnes plurimum inter ſe variant. Potiſsimùm verò *duo*, ex his locis prodeuntes

affectus,

affectus, arctam inter ſe cognationem qui habent, ſæpèque conjunguntur ac communicant, ſunt: uti id *Marcell: Donat. Hiſtor. med. admirab. l. 4. c. 8.* exponit. Quorum *prior* amplioribus continetur terminis, latiusq; ſe diffundit, multorumque affectuumque cauſas ſuppeditat, variisque ſymptomatibus ſtipatus prodit, mutabilemq; in omnes horas oſtendit faciem, ac præſenti noſtro plerumque fomitem ſuggerit. *Alter* verò ſpecialior eſt, ac ſtrictioribus aliquanto coërcetur finibus. Dum nimirum humor melancholicus; vel ſolus, vel utplurimum cum aliis miſtus, in hypochondriis collectus: flatus vapores ac fumos, ſibi congeneres, ac tetros, tenebricoſosque, ad cerebrum rationis arcem mittit, ſpiritusque, primarium functionum principum organum ac inſtrumentum, inquinat, eosque obſcurat, ac triſtitiam & mœrorem, cum imaginationis depravatione, rationisque labe, inducit.

APHOR. III.

Definiri poteſt.

Delirium non continuum, cum mœrore & triſtitiâ conjunctum, à vapore melancholici humoris præter naturam in hypochondriis cumulati, & peculiariter diſpoſiti, in cerebrum elevato, ſpiritusq; inquinante ac melancholicum phantaſma generante, ortum habens.

σχόλιον.

Nominis declarationem meritò rei ipſius excipit expoſitio. Cujusque rei eſſentia verò ac naturâ, quidque ea ſit, ex definitione maximè cum pateat ac perſpiciatur; genuinum nos tenere ordinem videbimur; ſi præmiſſæ vocis deductioni, hanc ſubjiciamus; ejusque membra ſingula, quâ ſe inſequuntur ſerie luſtraverimus ac ad rectæ rationis incudem revocaverimus, experientiâque confirmata dederimus. Initium itaque à genere ejus ſumamus.

APHOR. IV.

Genus proxim.

Genus delirium, ſeu mentis alienatio ac error eſt.

σχόλιον.

Homini mentem à DEO inditam, eùmque à ſummo rerum Condi-

conditore animâ intelligente inſtructum eſſe; quantum Divinæ munificentiæ teſtimonium ac opus! Illam verò multis modis corrumpi, depravari, ac aboleri poſſe, deplorandum vehementer! Non verò de Spirituali intellectus corruptelâ jam Sermo nobis eſt; Sed de eo mentis lapſu, qui naturales agnoſcit cauſas, rationeque corporis, ac tum huj9 immerſa eſt involucris, ipſi quæ contingunt, depravationibus agimus. Quanquam enim INTELLECTUS noſter organo corporeo ad edendas ſuas operationes, utatur minimè, & ab omni materiæ contagio ſit liber, resq; ab eàdem abſtractas, & ſine ejus conditionibus cognoſcat: tamen, cum in corpore agat ac exerceatur; aliquo in eo ut operetur, exiſtente, opus habet; phantaſiâ ſcilic. non quidem ut organo; ſed ſolùm objecta, phantasmata nimirum, offerente; *Sennert. l. 1. inſtit. med. c. 14. l. 2. p. 3. ſ. 1. c. 8. Horſt. d. natur. Hum. l. 2. exercit. 11. qu. 1. Caſman. in phyſiolog. anthrop. c. 4. qu. 2. Goclen. in adverſ. ad exercit. Scalig. qu. 14.* aliq; docent. Quamdiu itaq; phantaſia ritè ſuo defungitur munere, ratio etiam rectè quod ſuum eſt, exequitur: Si verò phantaſia lædatur, vel depravetur, etiam phantaſmata prava rationi ſuggerit, quæ ea uti accepit, dijudicat; & ita hæc quidem per accidens, ſecundariò & ratione objecti; illa verò per ſe læditur, *Senn. l. 2. inſt. med. p 3. S. 2. c. 4.* Quod verò melancholi non rarò circa unam ſaltem rem aberrent, illiq; adeò pertinaciter admodum inhæreant, de reliquis verò benè ratrocinentur; imò interdum verſuti admodum ſint; ideò maximè fit; quia memoria ſalva plerumq; permanet, & rarò, niſi malum radices penitus egerit, ac totam cerebri œconomiam deſtruxerit, labem trahit: quæ ea quæ aſſervat, ritè rationi ſuppeditat: præterea vapores melancholicorum ſunt craſsi & turbidi, qui imagines impreſſas tenaciter retinent, uti *Senn. l c. & l. 1. pr. med. p. 2. c. 8. Horſt. l. 3. epiſt. ac conſ. med. S. 4.* docent. Sic *Petr. Foreſt. l 10. obs. med obs.* 15. de mercatore quodam refert, ſummam ſuam inopiam ac paupertatem, ad quam redactum ſe eſſe perſvaſum habebat, deplorante ſolum, de reliquis verò benè judicante. *Obſerv. 19. citat. aut.* narrat; ruſticam quandam melancholiâ hypochondriacâ laborantem, curandam ſibi obveniſſe, quæ paroxysmi tempore hymnos latinos cecinerit, quos nunquam didiciſſet, niſi forſan ſæpius in templo eos audiviſſet. *Fel. Plaer.* verò *l. 1 obſ.* ſe juvenem ranam in

 ventre

ventre per aliquod jam annos habere ſibi imaginantem, curaſſe tandem, ac à falsâ iſtâ opinione liberaſſe, dicit. Ita *Paul. Zachias Medic. Roman. Quæſt. medic. legal. l. 2. t. 1. Q. 3.* plures hoc modo delirantium congeſsit hiſtorias; inter quas ea præcipuè notatu digna eſt, quam de viro quodam in hoſpitali, hoc affectu laborantibus, ac delirantibus dicato, aſſervato ac detento habet: is enim intrantes illud omnes, comiter excipiebat, illisq; de omnium ægrotantium conditione ritè & ordine exponebat, nec ullum ſe eodem teneri indicium oſtendebat, donec ad aliquem eorum perventum eſſet, de quo dicebat; Illum ſibi falsò imaginari ſe Spiritum eſſe ſanctum; cum tamen ego, inquit, verè ſim Spiritus Sanctus. Ac ſic in eo ſolò depravatè ratiocinabatur. Similem ferè hiſtoriam *Senn. ex Huart. Scrutin. ingenior.* deprompſit. ac *l. 1. pr. p. 2. c. 8.* inſeruit, de puero quodam qui in eo ſolum delirabat, quod totius mundi monarcham ſe eſſe crederet; de republ. verò adminiſtrandâ benè diſſereret ac prudenter. Et occurrunt paſsim tales in autorum annotationibus hiſtoriæ: ut unus caput ſibi amputatum putaret; alter, referente *Lemnio 2. d. complex. c. 6.* ex vitro nates ſibi conflatas exiſtimaret: quidam ſe ex butyro compactum crederet, proindeq; ignem fornacesq; fugiebat. *Sic marcell. Donat. d. hiſtor. medic. mirab. l. 2. c. 1.* refert; Senenſi cuidam nullo modo perſvaderi potuiſſe, ut urinam redderet. Ajebat enim, ſi mingeret, totam urbem diluvio perituram: quem ad lotium reddendum, eo perduxerunt commento. Pulſatis campanis ad inſanum undiq; concurrunt, magno totam urbem jam poſitam eſſe in incendio, indicantes, maximisque rogantes modis, ut, redditâ urinâ, civitati ob incendium periclitanti, opem ferret. Ita *Henric. ab Heer, Obſervat. oppidò rarar. obs. 27.* commemorat, Se aliquando Leodi ad illuſtrem quendam virum accitum, ab eoque interrogatum fuiſſe, ſibi uti dicat; num calculo veſicæ laboraret: cum verò ex illo iterum quæ ſiviſſet; quisnam calculoſum eum judicaret? indignabundum quaſi reſpondiſſe; ego memet ipſum; nec ulla perſvaſione à conceptâ iſtâ opinione ac imaginatione, dimoveri potuiſſe. Et idem, aliam quoque huic non abſimilem eodem deſcripſit loco: de monacho quodam, cui Empiricus quidam perſvaſerat, quam primum de lecto ſurgeret; ventriculum ipſi in ſcrotum deſcenſurum: qui propterea nullis precibus adduci

C

duci potuerit, ut lectum relinqueret. Quem tamen paulo poſt, illo fraudatore mortuo, paucis adhibitis remediis, ad ſanam reduxerit mentem.

Et ſæpè melancholiâ hypochondriacâ laborantes, ſciunt benê, timorem ac mœſtitiam quibus ſe macerant, eſſe vanam. Aliquos verô multô prudentiores ac ſagaciores eſſe, quam Sanitate integrâ tum fruebantur, fuerunt; inſigniq; acumine ingenii præditos, ad ea ſtudia, quibus nunquam operam dederunt, ſe accingere; nonnunquam & iis loqui lingvis, quas vel nunquam, vel tamen non ita perfectè didicerunt; imô carmina elegantiſsima interdum componere, plura quidam ab autoribus adducuntur teſtimonia; Sed tamen, uti *Forſt. c. l. Senn. l. 1. p. 2. c. 15. q. 1.* inquiunt: Si in iſtis nimium excedant, ac ea proferant, quæ antea nunquam in eorum poteſtate fuerunt, omnesque ſcientiæ ac artis ipſorum limites tranſiliunt, Magicæ ac Demoniacæ artis aliquid ſubeſſe, ſuſpicionem tales præbent. Alioquin *Senn. c. l. ac. c. 5. ejusd. l.* concedit. Interdum in morbis quibusdam eam induci cerebro ac ſpiritibus diſpoſitionem poſſe, quâ ingenioſiores fiant homines; idq; fieri maximè; ſi phrenitide, maniâ ac melancholiâ laboraverint; â quorum prioribus in ijs id contingere poſſe, concedendum facilè; qui humido alioquin ac frigido ſunt cerebro: tùm enim nimia ac ingenii acumini obſtans humiditas abſumitur, phantaſiæ ratiocinatonisque actiones exaltantur, ut idem loquitur. Ultimum verò, quod & ſangvineis accidere queat, non negandum. Cum enim ſecundum Ariſt. problem. 1. S. 30. melancholici dicantur ingenioſi; ea verô verba, uti *Senn. l. 3 inſtit. p. t. S. 1. c. 2.* explicat; non de iis, qui temperamento prorſus melancholiô, id eſt frigido ac ſicco ſunt, intelligi debeant; (quamvis plurimi ex primis iſtis qualitatib9 ingenii vim iſtam ac ſtabilitatem deducere conentur;) cum ſtupidi potius ac torpidi ſint animi, ſenſusq; omnes tardos ac minus promtos habeant; neq; ita ingenio valere poſsint; ſed de iis accipienda potius, qui optimæ alioquin corporis ac cerebri cumprimis, ſint temperaturæ, ſangvineæq; naturæ; admiſtam tamen humoris melancholici portionem aliquam habeant; quæ mobiles iſtos ac agiles nimis, inconſtantiamq; animi efficientes Spiritus, figat aliquo modo, ac ſtabilitatem iis inducat: ut ſic ex iſtâ miſturâ optimus ingenii modus reſultet

ſultet. Ne verò nimium eos quietos ac torpidos reddat, vim ejus πνευμα διύτην; quàm ſecundum Ariſtotel. c. l. cum vino ipſi communem eſſe dicit, facere: quæ turgentes quaſi ac alacres efficiat; quis inficias ire velit & iſtis à morbis liberatis, tale quid contingere poſſe. Anima verò noſtra ad has operationes ſuas aliasque edendas, cum ſpiritibus, tùm inſito, tùm influentibus, ut organis proximis, cumprimis utatur, uti cum *Senn Horſt. l. 3. ep. med. S. 4.* aliiq; docent; ex horum læſione ac vitio omnes mentis errores proveniunt. Cur verò ab humore melancholico phanthaſiæ præ reliquis functiones violentur, *Mercur. d. aff. cap. & part. annex. l. 1. c. 10.* cauſam reddere conatur. Sed quemlibet ſuo abundare ſenſu permittimus libenter. Eſt itaque delirium melancholicum. Symptoma actionum principum depravatarum, â Spirituum diſpoſitione vitioſà proficiſcens.

Genus remotum

APHOR. V

Differentiam conſtituunt paroxyſmorum mutationes ac recurſus, Locus ſeu ſedes materiæ morbificæ, Cauſæ, Signa ac Symptomata principalia; quæ omnia ordine indagabimus.

σχόλιον.

Deliriorum variæ ab autoribus etſi recenſeantur differentiæ, diverſis ab Hippocrat. & Gal. nominibus inſignitæ, â variis delirantium conditionibus, circumſtantiis, aliisque accidentibus petitæ; tamen cum *Senn. l. 1. pr. med. part. 2. c. 6. ac inſtit. l. 2. p. 3. S. 1. c. 7.* it. *Brünner. conſil. 7. de malanchol. hypochondr.* potiores eas & ad curationem maximè facientes ducimus, neceſſariasque cumprimis habemus; quæ ſumuntur à loco ſeu ſede materiæ, cauſâque efficiente ac minerâ morbificâ. Ex quibus ſatis manifeſtum fit, ad quod deliriorum genus, noſtrum ſit referendum, quamq; melancholicorum ſpeciem præſeferat.

APHOR. VI

Locus affectus, ſeu Subjectum proximum delirij melancholici eſt cerebrum; ſed per conſenſum.

σχόλιον.

Vulgaris ac notâ, uſuq; trita in Medicorum ſcholis eſt differentia morborum ac affectuum corporis noſtri, in eos, qui fiunt per ἰδιοπάθειαν ſeu eſſentiam, ac primarium partis affectum; & eos, qui per συμπάθειαν, ſeu conſenſum partis alterius producuntur. Quorum priores fiunt. Quando in ipſâ parte affectâ cauſa hæret morbum generans. Poſteriores verò, quando aliunde communicatur: *Senn. l. 2. Inſt. p. 1. c. 11.* Quod cum in melancholicis morbis ac affectibꝰ eodẽ modo fiat; meritò ſub ijsdem comprehenduntur differentiis. Conſtituuntur verò diſtinctionis hujus ratione, melancholici delirij communiter quatuor claſſes. Quarum PRIMAM is dat affectus; qui accidit, ipſius cerebri ac Spirituum animalium vitio primario; dum nimirum illi, naturali ſuâ conſtitutione amiſsâ, melancholicam induerunt diſpoſitionem. RELIQUÆ tres per conſenſum quidem ſunt omnes; ratione tamen loci ſeu regionis corporis ac partis, à quibus cauſa ſuppeditatur, ita à *Senn.* & aliis diſtingvuntur. Ut earum prima à CORDE AC TOTO, univerſoq; venoſo ac arterioſo genere ortum habeat. Secunda HYPOCHONDRIACA de quâ in præſenti agimus, ſit. Tertia præcipuè mulieribus UTERI vitio accidat. Quas verò præter has, *Senn.* appoſuit Species: ut amorem inſanum; melancholiam errabundam, & attonitam etiam, omnes ad prædictas jam, reduci poſſunt. *Horat. Augen.* verò in *conſult. & epiſt. medic. l. 2.* Specialem à ſe in puero quodam obſervatam refert, qui ex intervallis quibusdam ſingulo quoq; anno, ferè circa Lunæ coitum ex palmâ utriusq; pedis ſenſerit moveri flatum frigidiſsimum aſcendentem uſq; ad cerebrum, ex quo ilicò delirare cœperit. CEREBRUM itaq; cum hujus affectus primarium ſit ſubjectum, per conſenſum læſum, & functiones ejus depravari facilè colligi poteſt. Intellectus verò quanquam, ad edendas ſuas operationes, organo corporeo non indigeat; ſed phantaſiæ miniſterio objecta ſibi offerenti, ſolum utatur; phantaſiæ verò ſedes, conſenſu omnium phy-

 ſicorum

ſicorum in cerebro (quod omnium principalium functionum palatium) ſit; meritò & intellectus noſter, illud tanquam domicilium agnoſcit, & ſimul ejus commoda ac noxas experitur. Cerebrum verò, cum non tantum ſuam organicam habeat conſtitutionem; ſed & temperiem naturalem ut pars ſimilaris. Vel, uti *Senn. l.1.med. pr. p. 2. c.6.* dicit. Cerebrum ut partem ſimilarem poſſe conſiderari primò ut miſtum; deinde ut vivens, & calore vitali præditum, per quem animæ vegetantis actiones perficit; & tertio ut includit SPIRITUM, qui proximum actionum cerebri principum eſt inſtrumentum. Qui cum duplex ſit, INSITUS unus ac nobilior, alter INFLUENS, ex horum ſolū læſione actiones cerebri principes ac ſenſuum depravantur, ex prioris tamen magis, minus ex poſterioris. Satisq; ibi demonſtrat, ex ſolius ſubſtantiæ cerebri ejusq; temperiei læſione, actiones has minimè violari, niſi ſpiritib9 communicetur labes, contra quam *Thom. Eraſt. in Diſput. d. melanchol.* hæc ita exactè inter ſe diſtingvenda non eſſe, cenſet. *Et Andr. Laur. ſiſt. anatom. l. 10. q. 3.* dicit. Operationes cerebri nobiles proficiſci, tum ab ejus ſtructurâ mirabili, tum à ſpirituum ejusq; temperie ſimilari; & ita eſſe actionem mixtam. Sed cum non ſolum ad qualitates primas, verum ad ſecundas aliasq; ſpecificas quoque, ut in partium, ita & ſpirituum, utpotè organorum harum actionum proximorum, conſtitutione, ſit reſpiciendum; ut idem *Senn. l. 2. inſt. p. 3. ſ. 2. t. 3. & med. pr. l. 1. p. 2. 68.* habet; meritò & nos eas attendere debemus omnes. SPIRITUS verò, cum ſecundum communem autorum conſenſum, proq; naturæ ſuæ ratione; ut *Sen c. l. Horſt. l. 3. ep. med. ſ. 5. Brünner. conſil. 7.* alijq; docent, debeant eſſe, aerei, tenues, lucidi, puri, ſplendidi. Quamdiu naturalem hanc ac integram ſuam obtinent conſtitutionem, rectè etiam actiones cerebri ac ſenſuum per eos, ut organa proxima perficiuntur. Si verò ab hac optimâ diſpoſitione declinent, eamq; amittant, ac obſcuri, impuri, turbidi, tenebricoſiq; reddantur, à vaporibusq; ac fumis illis atris variè afficiantur: uti *Avicen. l. 3. Fen. 1. tr. 4. c. 18.* dicit, melancholia eſt affectio, permutans ſubſtantiam cerebri & complexionem ſpiritus luminoſi ad tenebras; ilicò actiones per eos efficiendæ, vel turbantur, vel ceſſant, vel depravantur. Quod vero ſpiritus tales natura ſua eſſe debeant, *Senn. c. l.* ex ſubſtantiæ cerebri

bri conſtitutione ac colore cognoſci optimè poſſe, aſſerit; cum & ea ſit nitidiſsima ac ſplendida. Præſertim verò; ſi ab exhalationibus iſtis melancholicis, tetris inquinentur, & uti *Senn. l. 1. med. pr. p. 2. c. 6.* in omni delirio fieri affirmat, *ἀῤῥήτῳ* & occulto modo afficiantur; peculiaris quædam actionum harum contingit depravatio, à reliquis propriis ſuis accidentibus haud difficulter diſtingvenda. Cum verò ut ſupra dictum, non per primariam cerebri ac ſpirituum diſpoſitionem vitioſam hoc delirium accidat; ſed à vaporib9, ex hypochondriis ſurſum elatis, ij inquinentur ac labem contrahant; illud etiam NON eſt PERPETUUM AC CONTINUUM; ſed tam diu durat, quamdiu vapores iſti ſuppeditantur: diſcuſsis verò iisdem, ceſsat, & ad ſe redeunt ægri. MÆSTITIA verò ac TIMOR, juxta *Hippocr. 6. aph. 23. Holler. l. 1. d. morb. intern. c. 7. Hercul. Saxon. præl. pr. l. 1. c. 16. Amat. Luſit. cur. med. cent. 4. cur. 54.* alioſq; plurimos, cum hujus affectus plerumq; perpetua Symptomata ſint, ac ſigna *παθογνωμονικὰ* certa. Animi verò hi affectus tales ſint, qui cor primario afficiunt, ut *Fernel.* ait, non immeritò *Senn. l. 2. Inſt. p. 3. ſ. 2. c. 4. & lib. 1. pr. p. 2. c. 8.* aſſerit, COR in omni melancholia ſimul affligi; cujus ſententiæ aſſeclas & *For. l. 10. obſ. 12. Hieron. Mercur. d. aff. cap. & part. annex. l. 1. c. 4.* habet.

APHOR. VIII.

Subjectum remotum, ſeu ſedes materiæ morbificæ ac cauſæ antecedentis, Hypochondria ſunt.

σχόλιον.

Hypochondria denominantur ἀπὸ τῶν χονδρῶν, quia cartilaginibus notharum coſtarum ſubjacent. *Senn. l. 3. pr. med. p. 5. ſ. 1. c. 1.* Eſtq; is locus, totaq; corporis regio, quæ ſub nothis coſtis utrinq; ad ilia extenditur. Ut idem *l. c. Petr. For. p. 10. obſ. 13. Andr. Laurent. l. 6. anat. c. 3. Gorræ defin. med.* aliique docent. Neq; ſolum ſita in ijs EPAR ac LIEN, nomine illorum veniunt; ſed & imprimis quoq; MESENTERIUM cum ſuis vaſis; itemque PANCREAS ET OMENTUM omneſq; venæ PORTÆ ac COELIACÆ MÆSENTERICÆq; arteriæ propagines per ea loca diſſeminatæ. *Senn. Inſt. l. 2. part. 3. ſ. 2. c. 4. pr. med. l. 1. p. 2. c. 12. l. 3. p. 5. ſ. 1. c. 2. Adrian. Spigel. d. human. corpor. fabric. l. 6. c. 4.*

Quam

Quam verò in iſtis locis variorum malorum ac affectuum corporis humani cauſæ hæreant, dictum *aph. 2.* Cum enim in iis non ſolum coctio prima; ſed & ſecunda fiat, diſtributioq; alimentorum ac excrementorum ſeparatio perficiatur. Hæ actiones dum ſalvæ ſunt, riteq; peraguntur, nihil tale accidit. Si verò, quod fieri facilè poteſt, in earum aliquâ quid minus rectè perficiatur; organumq; aliquod his conſtitutum, ſuo dextrè non perfungatur munere; plurima colliguntur excrementa, ac vitioſi multi congeruntur humores; eiq; diverſæ naturæ ac qualitatum variarum, pro partis in opere deficientis conſtitutione ac diſpoſitione, alimentiq; ratione aſſumpti. Ut nunc in dextro, nunc in ſiniſtro, nunc in medio vaſisq; meſeraicis, pancreatis, omentiq; aliquid colligatur; illudq; vel craſsius, vel tenue magis, vel aduſtum; hujusq; vel illius qualitatis, tam ex primis, quam ſecundis, atq; occultis etiam, particeps. Ut non immeritò locus iſte ſentina totius corporis appelletur; & ut ſupra ex *Fernel. Sennertoq;* allegavimus; ferè innumerabilium morborum cauſam ſubminiſtret. NOSTRI verò mali ſeu MELANCHOLIÆ HYPOCHONDRIACÆ cauſam utplurimũ in ſiniſtrâ hypochondriorum parte colligi, rationi magis conſonum eſt. Cum enim ut *Sen. l 1. inſti. c. 9 l. 3. med. pr. p. 5 S. 2. c. 2.* & *Horſt. tract. d. Scorb. it. D. Caſp. Hofman. lib. d uſu lienis* aliiq; aſſerunt, ac firmis ſatis rationibus probant. Lien craſsiorem ac magis terreſtrem chyli partem, ex venarum meſeraicarum trunco, anteqūam ad epar is feratur, ingenitâ facultate per portæ ramum ſplenicum ad ſe alliciat, ex eoq; minus laudabilem ſanguinem, pro ſui, ac quorundam infimi ventris partium nutritione conficiat; in eaq; ejus operatione, multa feclenta, craſsa, terreſtria, frigida, ſicca; multo tamen ſero diluta colligantur excrementa, quæ propriè melancholica dicuntur; veritati non abſimile eſt, ex hoc loco malo huic ſuppeditari cauſam. Quod idem etiam probant in hoc affectu circa hanc partem accidentia pleraq;; ut ita non abſurdum ſit ſtatuere. LIENEM in hoc πρωτοπαθικῶς, reliqua verò viſcera ac vaſa partesq; δευτεροπαθικῶς ferè ſemper affici. Et quamvis à plurimis ventriculus tanquam primarium hujus affectus ſubjectum, accuſetur; cujus etiam ſententiæ Petr. Sal. *in annot. ad Altimar. c. 8.* fuiſſe videtur, dum eum affectionum & exacerbationum potio-

rum

rum cauſam eſſe ſemper exiſtimat; eiq; & *Foreſt. l 10. obſerv. 18.* ſubſcripſiſſe ferè dici poſsit; dum inter ſigna melancholiæ hypochondriacæ potiora, cruditates, ructus acidos olidosq;, ac ventriculi dolores refert; tamen nos ut eum in hoc affectu nunquam culpâ vacare dicimus; ita nec proximè ac primariò hunc producere poſſe credimus. Id quod *Rondelet. meth. curand. morb. cap. 42.* aſſerit. Is enim cum ſemper debilis ſit, ac frigida humidaq; potius intemperie laboret, quod ſymptomata jam enumerata aliaq; firmiter evincunt; humorem talem, huic affectui generando aptum, nunquam in ſe generabit; ſed potius lieni aliisq; partibus materiam ſuppeditat. Unde etiam ſemper aliquid pituitæ cum humore melancholico conjunctum eſſe dicit *Senn.* ad quod in curatione quoq; reſpiciendum. Circa lienem tamen, coctione ejus vitiatâ, primariò hujus coacervari mineram. Cujus ſi ea tantum ſit quantitas, ut his contineri poſsit locis, leviorem excitat affectum; ſi verò plura ſint horum excrementorum quam ut his coerceri locis omnia poſsint, ad meſenterium, omentum, Pancreas: quæ *Caſp. Bauhin. theatr. anatomic. l. 1. c. 19.* melancholiæ hypochondriac. ſedem non raro eſſe docet, easq; partes, quæ communia cum liene vaſa habent, ſeſe effundunt, aridâq; ac inflammatoriâ; (uti communis autorum conſenſus habet) vaſorum conſtitutione magis exiccata ac quodammodo aduſta, calidiores multò ac fervidos vapores ad caput mittunt, graviusque malum excitant. Et omninò cum *Petr. Sal. c. l. ac Maſſar. l. 1. pr. c. 21.* credimus, quamcunque partem in hypochondriis contentam, in quâ ſangvis ac humores poſſunt incaleſcere, aduri, atq; hujusmodi atroces exhalationes facere, tanquam partem primariò laborantem, conſtitui poſſe. Quibus & *For. c. l. obſ. 18.* ſuum addit calculum. Nec præter rem in præſenti affectu quis cavitatem iſtam, in ſiniſtro hypochondrio ſub diaphragmate, è ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu ortam, accuſare poſſet: cum interdum tam pertinax ſit malum, ut generoſis etiam adhibitis remediis non cedat; Symptomataq; in hac parte apparentia, ſemper perſeverent. Ex quibus patet nos ab iſta labe minimè dextrum excludere hypochondrium, eparq; & ejus vaſa immunia ab hujus mali culpâ cenſere. Sed ſi tanta humorum horum ſit

 copia,

copia, ut totum impleat abdomen, cauſa etiam ex illo prodire poteſt loco. Imò nec divortium facimus ab iis, qui duplicem faciunt hanc melancholiam, prout minera ejus, vel in dextro, vel in ſiniſtro colligitur hypochondrio. *Brunn. conſi..7 d. hoc affectu.* Vias verò per quas vapores tales ad cerebrum deferri poſsint, laborioſè inquirere velle, opus ferè non eſt, cum ſatis manifeſtæ dentur ac patentes; juxtaq; Hippocr. lib. περὶ τροφῆς, ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία ξυμπάθεα πάντα. & *Scholz. Conſil. med. 183.* eas demonſtret.

Aphor. VIII.

Cauſa continens, proxima ac formalis, eſt obfuſcatio ſpirituum animalium, ac tenebricoſa eorundem peculiarisq; ac ἀῤῥήτῳ quodam modo facta diſpoſitio ac conſtitutio, phantaſma ſimile efficiens, mœroremq; ac metum inducens: à vaporibus ac fumis melancholicis, atris, tenebricoſis, ac eodem modo affectis, in cerebrum elatis, proficiſcens.

σχόλιον.

Causarum cognitio cum Medico ſummè neceſſaria ſit, ut ſine harum notitiâ in curatione nihil rectè efficere poſsit: & *Hippocr. l. d. flat.* dicat; εἰ γὰρ εἰδείη τὴν αἰτίην τοῦ νοσήματος, οἷος τ' ἂν εἴη προσφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῶν ἐν τῷ σώματι, ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπιστάμενος τὰ νουσήματα *qui enim cauſam morbi probè cognoverit, utiq; ex his quæ in corpore inſunt, adepta per contraria morborum cognitione, facilè poterit quæ conferunt offerre.* *Ciceroq; Medici cauſâ morbi inventâ, curationem inventam putant,* inquiat. Igitur

felix qui poterit rerum cognoſcere cauſas.

Eæ verò profundis ſæpè tenebrarum cum immerſæ ſint nebulis, ut ad eas eruendas non Davi ſed Oedipi ingenio opus: meritò & nos diligentiori inveſtigatione hujus affectus cauſas inquirere debemus. Cum autem longâ ſæpè earum detur ſeries, à *Senn. l. 2. Inſt. part. 2. c. 1.* explicata; quæ tamen non omnes in omnibus invenian-

tur

tur affectibus; quoſe in præſenti inſequuntur ordine, eas enodabimus. Continens verò in quibus affectibus datur, præcipua cum ſit, eâq; poſitâ ponatur morbus, ablatâq; ceſſet, & in hoc primò luſtranda venit. Melancholia verò hypochondriaca, delirium cum ſit; ac ita in genere ſymptomatum functionum animalium principum depravatarum; CONTINENS PROXIMA AC FORMALIS ejus cauſa erit, PRAVA DISPOSITIO organi ſeu inſtrumenti quo mediante anima in peragendis functionibus iſtis utitur. Atque adeò ut demonſtratum ſupra, nihil aliud; quam obtenebratio ſpirituum animalium, ac naturalis eorundem conſtitutio lucida, ac clara, ſpecificaq; diſpoſitio in contrariam atram, tenebricoſam, eiq; penitus adverſam mutata, ſpecies phantaſiæ depravatè ac minus dextrè offerens, ejusq; functiones lædens, ac depravans; quæ eas uti accepit non ſolum dijudicat, ſed quod ejus etiam officium, alia inde elicit ac deducit phantaſmata prava, eaq; rationi offert, ac ita eidem per objecta labem communicat. Ita, uti dictum ſupra, ſemper ratione læsâ, imaginatio, aut memoria, aut utraq; vitiata præſupponenda eſt, ut pluribus docet *Sennert. Inſt. 2. part. 3. ſect. 2. c. 4.* Cum vero hæc à nobis ſenſibus comprehendi ita non poſsint; nec in conſiderationem Medici incurrant ita, ut eisdem per ſe remedia adhibeat; potius ad CAUSAM MEDIATAM proximiorem hanc ſpiritibus diſpoſitionem introducentem, nos conferamus. Illam vero vaporem ac fumum melancholicum ex hypochondriis ad mentis arcem contendentem eſſe, ſupra diximus. Caput enim noſtrum corpori cohærens, non aliter ac tectum fumoſæ domui impoſitum, omnes fuligines ac vapores, ex inferioribus partibus aſcendentes, excipere *Sen. l. 1. pr. p. 2. c. 35.* inquit. Quibus variè actiones ejus cum turbentur, plurima mala ac damna eidem inferunt & varia pravaq; ac mira interdum Symptomata producunt. Cujus rei conſpicuum ſatis documentum habemus in ebriis; qui ex vaporibus à nimio potu elevatis, delirantibus non raro ſimiles evadunt. Et *Gal. 3. d. loc. aff. c. 7.* inquit, elato ex ventriculo ad oculos fuliginoſo quodam & fumoſo halitu aut craſsis vaporibus, ſimilia ut in ſuffuſione accidentia contingunt, eadem ratione ſublatâ ad cerebrum ab atrâ bile evaporatione fuliginosâ fumosâq; melancholica eveniunt in mente accidentia

cidentia. Vapores autem ſeu fumos, ex variis locis ac hūmoribus, in caput aſcendere: nonnunquam ebullientibus ac quaſi ferveſcentibus iisdem cum impetu eo ferri: non raro & à calore nimio doloreque attrahi; variaq; ſymptomata pro naturâ mineræ ſuæ, partisq; quam afficiunt conſtitutione, excitare poſſe, manifeſtum; ſatisq; experientia ac Medicorum obſervationes id docent; & cumprimis malo hypochondriaco qui laborant, id affirmant. Noſtrum verò affectum producentes, ſolum ex minerâ humoris melancholici (peculiariter tamen diſpoſiti) proficiſci, effectus omnes accidentiaq; demonſtrant, locusq; jam ex *Gal.* adductus conſentit. Et quidem copioſius ab hoc, quam ullo alio vapores emitti, certum eſt: cum ſecundum plurimorum clariſsim. Medicorum conſenſum, experientiæq; confirmationem; humor melancholicus multo ſero diluatur, flatibusq; commodā præbeat materiam; quæ duo in corpore hinc inde moveri apta nata eſſe, quis non intelligit? teſtimonia verò eam in rem adducere plura, quid opus? Cum ex *Inſtit. Sen. l. 2. p. 2. c. 7. & 8. Hofmanniq; lib. 1. d. uſu Lien.* ea omnia ſatis clara ſint. Vapores verò hos ac fumos non ſemper primò ſpiritus animales afficere; ſed his mediantibus vitalibus, ut materiâ illorum proximâ, communicari, præter *Senn.* autoritat: *Inſtit. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 2.* ſupra etiam adductam, & illud evincit, quod triſtitia ac mæror; quæ duo animi παθήματα, ut ex Fernel. nuper probavimus, cordi primariò competunt, delirij hujus perpetui ſint comites. Hi verò quo modo à vaporibus iſtis melancholicis inducantur, ſic exponere velle, nimis operoſum eſſet ac prolixitatem noſtræ diſputationi potius induceret, poſſuntq; iſta pleniſsimè ex *l. c. ut & l. 1. pr. p. 2. c. 8. Horſt. l. 3. ep. med. ſ.* 4. accipi, quibus in locis diſertiſsimè de hac re agunt: nec aliter fieri id dicunt, quam ſpititibus à vaporibus ita obſcuratis, obfuſcatis & incraſsatis, tenebricoſamq; conſtitutionem adeptis, minimè tamen primas excludentes qualitates. Quorum etiam ſententiam ut veritati magis conſonam, rationiq; conſentaneam, meritò amplectimur.

APHOR.

Cauſa antecedens ſeu minera Melancholiæ Hypochondriacæ eſt humor melancholicus peculiariter diſpoſitus; in hypochondriis, ſiniſtro quidem cumprimis ac circa lienem collectus; omnibus tamen nonnunquam etiam in viſcerum, in iis contentorum, vaſis cumulatus ac reſtagnans; vapores ac fumos congeneres, tetros, atros, ac tenebricoſos ad cerebrum mittens.

σχόλιον.

HYPOCHONDRIA, communem quaſi ſententiam univerſæ corporis humani Oeconomiæ eſſe, ſupra dictum, autoritatibusq; ac experientiâ confirmatum eſt. Plurimosq; in iis ſemper colligi ac hærere vitioſos humores, variorum affectuum, ac innumerorum ferè, cauſas; ex *Fernel.* & *Senn.* teſtatum fecimus. FEBRIUM enim, tertianarum, quotidianarum, quartanarum ac erraticarum fomitem, ac putreſcentes humores in iis hærere, *ex Senn. libr. d. febrib.* aliorumq; patet. SCORBUTI quoq; affectus ſanè graviſsimi ac atrociſsimi, inq; formas diverſas variabilis, ſæviſsimisq; ſymptomatibus homines affligentis, mineram ac cauſam ibidem ſtabulare, humoribus ſpecificam iſtam corruptionem adeptis *Senn. in tract. d. Scorbut. Horſt.* & alij plurimi docent. MALUM HYPOCHONDRIACUM quoq; in ſpecie ita dictum, notum ſatis hodie omnibus affectum; præcipuè vero iis, qui nimis ſtrenuam literis navant operam, familiarem, noſtriq; genitorem utplurimum; hos agnoſcere ortus ac mineræ ſuæ domicilium in his ponere, nullum eſt dubium, autoritatibusq; ac experientia comprobari poteſt. *Senn. l. 3. pr. med. p 5. ſ. 1. c. 2.*

NOSTRUM verò affectum huic cognatum maximè, & ut jam dictum, cum eo ut plurimum conjunctum, his quoq; locis, & ſiniſtræ eorum parti cumprimis ac primariò, ortum ſuum debere, ex iisq; primordia ducere; præter autoritatis teſtimonia, & experien-

tiæ luculentia confirmat; accidentiaq; ejus, ac effectus ſatis demonſtrant. Eumq; tunc ſe præcipuè prodere, humoris melancholici minera dominium quando obtinet, reliquisq; eſt potior, ac peculiariter diſpoſita. Quid verò propriè per humorem melancholicum intelligamus, *aphor. 1.* dictum & *Hier. Mercur. d. aff. cap. part. annex. l. 1. c. 4.* explicat. Licet enim in jam recenſitis affectibus omnibus, ſatis fumorum ac vaporum ad caput feratur ſemper: tamen in nullo eorum talia præſto eſſe ſymptotama videmus, qualia hoc peccante ſeſe offerunt. Quamquam enim unum vel alterum in hoc etiam contingens, producant; tamen proinde ejus naturam non totam complent, ſuntq; illa iis communia, non propria ac eſſentiam cujusquam conſtituentia. Cujus verò humor hic ſit naturæ, & quibus modis vaporibus de ſe eructatis, cerebrum lædat, ſpiritusq; cumprimis animales inquinet ac corrumpat, variè inter autores diſceptatur. Quorum aliqui ex manifeſtis ejus qualitatibus, omnia hæc deducere conantur. Quidam, ut *Plater.* & *Fuchſius*, malignitatem aliquam eidem tribuunt. Sed cum è primîs ac elementariis qualitatibus, omnes rerum effectus, miraq; interdum accidentia deducere haud poſsimus, ipſiq; *Hippocr.* & *Galen.* in iis non acquieverint, *Scaligerq;* dicat; *tale quid conari, ſummam impudentiam eſſe*, ac *Senn. celeberr.* paſsim in ſuis operibus; quæ loca hic conſignare velle omnia, nimis amplum occuparet ſpatium; luculenter, planiſsimè ac pleniſsimè de hac re ac controverſiâ agat; meritò & nos ejus ſubſcribimus ſententiæ. Ac uti in partis cujuslibet naturali conſtitutione, non ad temperiem primarum qualitatum tantum reſpiciendum; ſed & ſpecifica ac peculiaris ejus diſpoſitio attendenda eſt: ita & in præternaturali cujusq; conſtitutione, humorumq; diſpoſitione in iis non ſubſiſtendum, ſed ulterius progrediendum, ſecundæq; ac occultæ inquirendæ. Proin nec in humoris melancholici, affectusq; noſtri mineræ conſideratione, primas tantum expendendas cenſemus qualitates; nec ideo malignitatem prorſus eidem tribuendam exiſtimamus: ſed mediæ inſiſtere viæ, tutius putamus; ac cum *Sennerto*, PECULIAREM nobisq; ignotam eidem adſcribimus, ac ineſſe credimus diſpoſitionem ſpirituum naturali conſtitutioni maximè contrariam, eosque ut ſupra ex jam nominato Viro Celeber. diximus, *ἀῤῥήτῳ* quodammo-

dam modo afficientem, ac obfuſcantẽ, tenebricoſosq; reddentem: ut non immeritò τὸ θεῖον *Hipp.* hic quoq; locum habere videatur. Cui ſententiæ & calculum ſuum addunt *Vid. Vid. d. cur. membr. l. 2. c. 10. Brünn. conſ. 7. Horſt. l. 3. conſ. & ep. ſ. 4. & 5.* â quibus nec multum aliena eſt, *Holler. Schol.* quam *l. 1. d. morb. int. c. 15.* habet ſententia; nec admittenda *Petr. Sal.* opinio, quâ *d. aff. part. c. 15.* adſtruere conatur; melancholiam morbos non facere, niſi in atram degeneret bilem. PRO qualitatum verò manifeſtarum humoris hujus diverſitate, & ſymptomata in hoc affectu variare videmus. Quo enim magis minera ejus de frigiditate participat, eò ignaviores, torpidiores, ad ſomnumq; procliviores reddit ægros. Quo verò magis aduſtus humor eſt, ac caliditatis impreſsas habet notas, & ad bilis atræ naturam accedit; eò magis μετὰ σπουδῆς ſua agunt, ac alacriores ſunt, de furoreq; aliquid participare videntur, ut nonnunquam maniacis ferè aſsimilentur. Si verò ſanguinis plurimum admiſtum ſit, interdum etiam cum riſu & lætitia quaſi hoc accidit delirium, jocosq; hoc detenti ſuis admiſcent nugis. Caliditatis tamen effectus ferè in omnibus hoc malo comprehenſis, ſe manifeſtè produnt; dum æſtum quendam hypochondriorum omnes ferè ſe pati conqueruntur, ſitiq; non raro vexantur. Id quod non ab Hepatis, Lienisq; ſolum intemperie provenire autores dicunt; ſed â vaſorum ac venarum meſeraicarum, vicinorumq; cumprimis conſtitutione aridâ ac exiccatoriâ; ut in præcedent. diximus *aphor.* videreq; eſt ap. *Holler. l. 1. d. morb. intern. c. 15. Vid. Vid. l. 2. d. cur. membr. c. 10. Petr. Foreſt. l. 10. obſ. 18. in Schol. Schenk. obſ. med. d. cap. obſ. 233. Brünner. conſ. 7. & ſeqq. Horſt. l. 3. ep. med. 5. 3. & 4. Rondelet. meth. cur. morb. 1. c. 42.* Quamvis verò quidam inflammationem horum accuſent vaſorum; tamen cum *Sennerto*, adducti autores omnes in eo conſentiunt: non veram eſſe illorum φλεγμονὴν, ſed φλόγωσιν quandam, ac æſtum, & inflammatoriam diſpoſitionem, *l. 3. med. pr. p. 5. ſ. 1. c. 3.* quâ in ſignificatione & inflammationis vocabulum *Hippocr.* & *Galen.* accepiſſe, *Maſſar. l. 1. pr. c. 21.* & *Petr. Sal. in Annot. ad. lib. Altimar. c. 7.* teſtes ſunt: quæ itaq; effervеſcere ac ebullire quaſi humores in vaſis iſtis contentos facit, utq; fervidas tales exſalationes eructent, æſtumq; præcordiorum efficiant, aliasq; partes calore præternaturali afficiant,

talia q;

taliaq; ſymptomata producant, cauſa eſt. Unde non ineptè aſſerere videtur *Remb. Dodon. obs. med. c. 10. in Schol.* melancholiam in initio ſemper aliquid maniacum habere; quod forſan deſumpſit ex *Aretæo l. 3. c. 5.* PRO TEMPERAMENTI quoq; ratione ac varietate, in quod incidit hic affectus, ſymptomata ejus differunt: non aliter ac in ebriis videmus; qui non ſimilia ſemper agunt, vel æquales oſtendunt mores: ſed prout vinum nimium â ſanguineo, melancholico, bilioſo, phlegmatico, aſſumitur; nunc ſunt læti, triſtes, garruli, taciturni, ad rixas & jurgia proni, lachrimantur & plura alia agunt. Nec omninò nihil VITÆ GENUS, quo quis utitur, ac conditio hic conferunt, ut hominem ad hoc vel illud peragandum diſponant. Quod idem & COGITATIONES, quibus quis alioquin indulget ſemper, efficere poſſunt. Quæ omnia tamen propterea formalitatem humoris melancholici non tollunt; ſed accidentaria tantùm ſunt, & extrinſecus, & ab admiſtione aliorum humorum proveniunt. CHYMICI affectum hunc inter eos referunt, quos ex ſuis principiis è tartaro natos ſtatuunt. Quid verò per tartarum intelligant, cum non inter omnes unanimi conſenſu conveniat: eam ſententiam, quam *Clar. Senn. l. 3. med. pr. p. 5. S. 1. c. 3.* & *de conſ. & diſſ. chymic. c. 16.* proponit, tanquam veritati congruam, ac rationi magis convenientem, meritò amplectimur, cum eoq; dicimus. Tartarum generari, cum in humorem mucilaginoſum & viſcoſum ſpiritus ſalis incidit, eumq; coagulat. Eſtq; ita tartarum mucilaginoſum excrementum cibi & potus â ſpiritu ſalis coagulatum.

APHOR. X.

Cauſæ remotæ ac irritantes, ſunt omnia ea; quæ apparatum cauſæ antecedentis augere, fovere ac movere; utq; actu affectum producat, facere poſſunt; eæq; tum extra corpori adveniunt, tum intra illud conſiſtunt. Præcipuè autem ex rerum non naturalium numero ſumuntur; quibus tamen & temperamentum naturale, ac nativæ viſcerum,

aliæq;

aliæque pravæ diſpoſitiones, morbique varii, non immeritò annumeratur.

σχόλιον.

Regimen ac moderamen RERUM NON NATURALium Medicis dictarum, in conſervandâ hominis ſanitate, plurimum habere momenti; earundemque adminiſtrationem legitimam, in abigendis morbis, valere multum; omnes docent Medici, quotidianaque id ſatis comprobat experientia. Quorum uſum, cum nobis effugere non liceat, eo meliorem ejus meritò habere debemus rationem. Præſertim verò, quantum neglectus ejus in præſenti noſtro affectu damni inferre poſsit, ſatis manifeſtum eſt. Nec cauſam facilè ullam aliam, quod hodie illud tam vulgariter graſsetur, reddi poſſe, exiſtimamus, quam eam; *à Joan. Lang. epiſt. med. l. 2. epiſt. 3. d. novis morb.* quæ adducitur: pravam nimiram victus rationem, ſuccedentibus mærore ac curis, homines conficientibus. Dicuntur verò illæ â plurimis cauſæ externæ; ſed commodius cum *Sennert. l. 2. Inſt. p. 2. c. 2.* EVIDENTES nuncupari poſſe, putamus: cum earum aliquot non extra, ſed internè, corpus afficiant; omnes tamen evidenter & manifeſtè. Quod verò à quibusdam, in neceſſarias, & non neceſſarias dividantur, ideò omittimus lubenter; quod eæ, utpote, quæ certo numero ita comprehendi non poſsunt, noſtræ haud ſint conſiderationis. POSTERIORES itaq; jam ſuo proponemus ordine; illis tamen, ſi neceſsitas ſvadere videatur, minimè neglectis. In quatuor verò cum non incommodè omnes ſimul diſtribuantur claſſes, & nos iſtũ retinebimus ordinem. Prima igitur ſit eorum, quæ ASSUMUNTUR. AER itaq; cum juxta *Gal. l. 6. de morb. vulg. S. 1.* variè nos alteret, & ſine eo ne momentum quaſi vivere poſsimus; meritò primo conſtituitur loco, conſideraturq; hic, quatenus reſpiratione attrahitur, intraq; corpus aſſumitur. Is ſi ſit craſſus, fœtidus, nebuloſus, impurus; variis infectus vaporibus, ac inquinatus exhalationibus, ê paluſtribus, udoſis, ulignoſisque locis, paludibus ac lacubus, elevatis, attractus reſpiratione; Spiritus vitales animalesque inquinat, craſſosque impuros, ac ad munia ſua ineptos reddit; ſangvinem fœdat ac humoribus ſuam imprimit naturam.

 Joan.

Joan. Hartman. in prax. chymiatric. p. 213. dicit: tales eſſe Spiritus ſalinos, vaporoſos; â 🜍 e ſuo deſtitutos juxta mare ab aſtris elevatos, ſed non percoctos. A quo ſecundum *Hip. l. d. aër aq. & loc. & Aet. tetr. 3. Serm. 2. c. 7.* Epatici & ſplenetici affectus concitari ſolent. Imprimis verò autumnalis, inæqualis, talibus humoribus cumulandis aptiſsimus, juxta *Hippocr. 3. aph. 4.* Ver quoque ſecundum *eundem aph. 20. S. 3.* hoc ſæpe producere ſolet malum, dum humores in corpore diliqueſcentes eo adveniente moventur. Nec calidus & ſiccus excludendus ex hoc cenſu prorſus eſt; cum is humores exiccare, ac adurere magis poſsit. De quibus aëris vitiis *& Senn. l. 4. inſt. p. 1. c. 2. & Horſt. lib. d. ſanitat. ſtud. tuend. c.* 5. prolixè agunt.

Secundum locum Cibus ac Potus obtinent. Cum enim corpora noſtra in perpetuò ſint fluxu, opus habent alimentis, quibus reficiantur: unde *Celſus l. 2. c. 18.* dicit: *Cibus & potio non omnium tantum morborum; Sed & ſecundæ valetudinis communia præſidia ſunt.* Totum verò quod aſſumitur alimentum, corpori apponi cum non poſsit; ſed quodlibet aliquid, quod corpori alendo minus aptum, habeat; fieri non poteſt, quin quotidiè aliquid humoris vitioſi colligatur. Quod ſi non evacuetur maturè, ac è corpore ejiciatur, variorum malorum cauſas ſuppeditat; corruptumque ac pravas diſpoſitiones adeptum, nonnunquam graviſsimos excitat affectus, ſævaque ſymptomata inducit. Cibi verò huic præcipuè malo materiam ſubminiſtrantes, ſunt: Craſsi, concoctu difficiles, viſcoſi, duri, plurimum excrementitij ac mali ſucci pravique habentes: item flatulenti, frigidi ac ſicci, humidique nonnunquam ac multum ſeroſi humoris ſuppeditantes, ut ſunt, Caro bubula: præcipuè veterum ac laboribus exiccatorum, vaccarumq; ſuilla, hircorum ac ovium, aprugna, cervina, leporum veterum: pedes quoque ac inteſtina, viſceraq; animalium, farcimina itidem ex ſangvine confecta. Aves in aquis viventes, ambulationeque potius quam volatu vitam agentes: ut anſeres, anates, item columbæ antiquiores, coturnices &c. Pisces maritimi ac in aquis ſtagnantibus, cænoſisque ac limoſis lacubus degentes. Omnes denique dum carnes, dum piſces, in muria aſſervati; fumoque indurata omnia, ac aëre & ſolis calore exiccata. Quæ, quod fumatione ac exiccatione omni humido ali-

mentari

mentari orbata, relictâ ſolâ parte craſsè ac terreſtri; inſuper & ſale copioſo abundent, commodam huic humori præbent materiam. Unde *Horſt. tract. d. Scorbut. l. 2. obſ. med.* inquit: non mirum eſſe, in Hollandiâ, inferiorisq; Saxoniæ partibus ac regionibus maritimis, ſcorbuticum malum tam familiare eſſe, cum ipſum fumum ferè devorent. Panis item, ex Secali vel vetuſtate vel pluviis ferê corrupto, à furfuribus non benè liberato, confectus; vel ſubmucidus; vel diuturnâ aſſervatione, vel infumatione etiam, exiccatus ac arefactus. Legumina pleraque huic humori generando ſunt apta, excepto hordeo & avenaceis; præſertimque flatibus excitandis commoda: quod *Fien. l. d. flat. c. 8.* docet. Fructus quoque omnes, exceptis paucis, damnantur; imprimis verò immaturî. Olera itidem, Braſſica cumprimis, & ea fermentata, magis nociva multum. Ova verò indurata, oleoque ac butyro frixa, ut & bellaria omnia ex placentarum tortarum genere, planè prohibita ſint. Lactis quoque uſum nocivum ijs eſſe, qui tenſa habent hypocondria, *Hippocr. aph. 64. S. 5.* docet. Caſeus itidem; vetuſtus cumprimis, non admittendus. Nec inſcitè *Horſt. part. 1. l. 2. obſ. med. obſ. 13.* monet: â nimium ſalitis ac aromati ſatis abſtinendum in hoc affectu eſſe. Sal n. præterquam quod juxta *Gal. l. 3. d. fac. alim. c. 41.* nimiam ſiccandi vim habeat, & coagulandi principium in ſe continet. Aromata verò majori quantitate uſurpata, æſtum iſtum vaſorum augent, ac majorem, ariditatem ijs inducunt. Ex potulentis muſtum craſſum, Vinum auſterum, acidum, ac in locis impuris, ſoloque multum tartareæ materiæ continente productum, in vappam verſum, pendulum, ac alioquin vetuſtate corruptum. Cerevisia verò ex impuris aquis cocta, non defecata, plurimum hujus mali mineræ conferunt. Et omninò ut *Sen. l. 3 pr. med. p. 5. S. 1. c. 3.* monet: diætæ errores multum in hoc malo inferunt damni; varietasque ciborum optima ejus mater, ſola hujus cauſa exiſtere poteſt, nullo in viſceribus præſente vitio. Non autem ſolum cibi pravi ſucci, chyli vitioſi cauſa ſunt; ſed & ex bono cibo ac potu, ventriculus naturâ malè conſtitutus ac debilis, ut diætæ errores ferre non poſsit; vel diurno victus errore, vel nimiâ ingluvie & cibi ac potus quantitate obrutus; uti *Scholz. in Conſil. a Matthiol. dat. 282.* docet, vel à liene pravum alimentum

 eidem

eidem ſuppeditante debilitatus, vitioſum chylum generat. Et omninò, ut in omni actione non ſolum organum benè conſtitutum eſſe debet, ſed inter illud & patiens juſta ut ſit proportio, neceſſe eſt, tempusque ac ordo ritè obſervanda, ſi benè actio procedere debeat: ita & hic ea attendenda. Ut non ſolum quantitate convenienti, ſed & juſto ordine ac tempore cibus ac potus aſſumatur; ne his nequicquam habitis, tota turbetur œconomia. Inedia quoq; & fames, huj9 cauſæ exiſtere deniq; poſſunt, cujus *obſ. Horſt. l. 3. ep. med. S. 5. d. illuſtr.* quâdam fæmina habet. Quamquam v. huic claſsi & MEDICAMENTA minus dextrè adhibita, annumerari etiam poſſent, quorum uſu non rarò diuturnius malũ redditur, ac exaſperatur; tamen, cum eorum uſus ita neceſſarius non ſit, & evitari poſsit; ne juſto prolixiores ſimus, lubenter ea ommittimus; cùm & in curatione de iſtis mentio fiat. Habet tamen de his *For. l. 10. obſ. 19. & Brunner. conſil. 7. ſolenanderq; aliquid.*

Ad ſecundam claſſem pertinent ea, quæ GERUNTUR: quibus omnes, & corporis, & animi complectimur motus: ſomnus itidem & vigiliæ, vitæque genus ad hunc referuntur locum. ANIMI, ut potioris noſtri partis MOTUS, meritò in primâ ſtant acie. Ij enim nimij quantum incommodi ac detrimenti valetudini inferre poſsint, omnes ſatis experimur. TRISTIA verò, MÆROR, CURÆ, ac METUS; cum affectus hujus principes ſint cauſæ, ut & ſympromata familiariſsima, eos quantum fieri poteſt, ut fugiamus, & ſacræ nos admonent literæ, & profanarum hiſtoriarum teſtimonia hortantur, ratioque ſvadet. *Eccleſiaſt. 20. multos occidit triſtitia. Salom. prov. 12. triſtitia cordi nocet &c. exiccat. oſſa prov. 17. Spiritum in nobis dejicit.* Verum igitur quod *Quercet. diæt. polyhyſt. ſ. 1 c. 9.* dicit: quod triſtitia è forti meticuloſum, è vivido ſegnem torpidumque faciat. MÆROR & curæ quam multos hoc præſertim tempore conficiant prorſus, ac corpora vegeta omni ſucco & ſangvine defraudent, ſatis quotidiana nos docet experientia. Cauſam addunt *Senn. d. conſenſ. c. 13. p. 234. Caſp. Hoffman, d. loc. aff. c. 16.* ut plura in eam rem adducere teſtimonia opus non ſit: collegit tamen huc facientia exempla *Plater. Tom. 1. pr. c. 3. d. mentis alienatione.* COGITATIONES verò profundæ, ac nimia animi intentio, quam optimum hujus affectus ſit fulcrum, exinde videmus; quod, qui nimiâ aſ-

ſiduita-

ſiduitate ſtudiis invigilant, præcipuè verò ijs artibus ac ſcientiis o-peram dant, quæ ſingulare ingenij acumen requirunt, plerumque proclives ad hoc ſint malũ *Senn.1.pr.p.2.c.* 9. Dum n. ingenij intenduntur, vires,ſpiritꝰab inferiorum facultatũ functionibꝰ avocantur, ut ſuperioribus miniſtrent. Motus corporis verò quantũ in conſervandà valetudine poſsit, exinde conſtat; quod, qui eo vitæ genere utuntur, perpetuis exercitiis dicâtum quod eſt, plerumque optimâ fruantur ſanitate, ac rarò morbis tententur; vel ſolùm levibus iſtis ægritudinum inſultibus non ſtatim dejiciantur: contra verò; in otio & quiete qui vivunt, variis morborum moleſtiis obnoxij ſint. Non ſolùm enim *Hippocr. 6.Epid.com.* 4.*t.20.* dicit. Ἄσκησις ὑγιῆς ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων; ſed experientia quotidiana demonſtrat, quantis ij,qui ſedentariam agunt vitam, ac lucubrationibus continuis ſe macerant, calamitatibus corporis ſubditi ſint; ut inde familiare literatorum hoc ſit malum. Motus enim ac exercitia, calorem naturalem ſuſcitant ac augent, corporibus ſoliditatem inducunt; ac ita nutritioni ejusdem adjumento ſunt; quidquid verò noxium in eo,diſcutiunt ac expellunt. Otium contra ac quies, corpus molle ac debile reddunt, plurima excrementa colligunt, ac caloris ventilationem impediunt, obſtructionesque viſcerum inducunt: quarum cauſa in literatis, & lucubrationibus nimiis deditis, & ea reddi poteſt, quod dum ſedendo corpus inclinant, vaſa meſenterij ac viſcerum comprimantur, quam etiam *Senn.l.1.pr.p.2.c.12.* & *l.3.p.5.S.1.c.3.* adducit.

Somnus verò ac vigilæ, cum hominibus ideò datæ ſint, ut per has munia ſua obire,ac de hujus vitæ neceſſariis proſpicere ſibi poſsit; illo verò,corpus laboribus delaſſatum ac confectum, reficiatur; coctioq; ac nutritio melior fieri poſsit. Hæc ſi juxta *Hippocr. aph.3.* & *4.S.2.* inſtituantur & admittantur, magnum ſanitati conferunt emolumentum. Præcipuè verò in hoc affectu moderatè adhibita, commodum non leve præbent. Vigiliæ verò nimiæ corpus exiccant, attenuant, ſpiritus diſsipant; ac primo quidem calidos, poſt verò calore nativo diſsipato,frigidos inducunt affectus: & uti *Hippocr. 6. epid. comm. 4. text. 14.* vigilantes exterius calidores, interius frigidores ſunt. Quod verò ad hunc inducendum affectum etiam plurimum poſsint, ex *Foreſt. l.10. obſ. 13.* de duobus fratribus

 conti-

continuis vigiliis ac lucubrationibus ſe macerantibus, videri poteſt. SOMNUS verò uti *Hippocr. 6. Epid. com. 5. t. 10.* teſtante, ritè adhibitus, viſceribus eſt cibus; plurimum enim commodi confert ſanitati; eo enim vires amiſſæ reſtituuntur, corpus laboribus defatigatum reficitur, ſpiritus inſtaurantur, calor ad interiora revocatur, & melior concoctio fit; cruditates conſumuntur, corpus humectatur; unde etiam ſomnus lac ſenum dicitur, nullam aliam, quam ob iſtam cauſam; ita immoderatus ac præpoſterè adhibitus, multa ſecum ducit incommoda. Calorem enim cruditatibus multis cumulatis, ac ſuperfluis noxiis excrementis retentis, ſuffocat quaſi ac obtundit; ſpiritus torpidos efficit; ac corpus totum ſegne reddit; *Gal. 12. meth. med. c. 3.* Cor enim ſomni tempore multò debilius movetur, quam vigiliarum; imò & exiccare corpus ſomnus poteſt; juxta *Senn. l. 4. Inſtit. p. 1. c. 6.* dum calor eo intro revocatus, humiditatem partium ſolidarum abſumit. Non ſolum autem Endymionis ſomnꝰ damnantur; ſed & quo tempore ineundus ſit, attendendum; ne ſtatim poſt cibum capiatur. Meridianus verò cumprimis plerorumque ferè Medicorum ſententiâ, ceu peſtis quædam fugiendus cenſetur. Attamen, ſunt & nonnulli clar. viri, qui illum non ſolum non ita noxium habent; ſed & commoda ejus recenſent, inter quos *Hoffmann. Orat. ad Diſputat. de ſomno meridiano*, agmen ducit.

Ad hanc claſſem quæ porrò reduci poſſent; ut ſunt quæ ad vitæ ſortem pertinent; ex præcedentibus cum pateant ſatis, non opus eſt plura de iis exponere; in ijs verò omnibus ſtudiosè obſervandos ſemper *Hippocr.* cenſemus *aphoriſmos*, quos *Sect. 2.* proponit *3. & 4.* loco.

His ſuccedunt, quæ RETINERI in corpore, vel EXCERNI ex eo debent, ſi in iis quid peccetur. Eorum verò præcipuè nomine veniunt, trium coctionum in corpore noſtro contingentium excrementa; ut ſunt: FECES ALVI, URINA, SUDOR, alijq; humores: SANGVIS itidem: ſi vel copia adſit nimia, vel alij humores ejdem admiſti. Hæmorrhoides cumprimis ſuppræſſæ ſi ſint in huic fluxui asſvetis, multum affectum hunc augent. Nec SEMEN ab eorum cenſu excludendum planè; cum vel nimis diu retentum cauſa quoq; hujꝰ eſſe

queat

queat VENUS vero nimia: corpus diſſolvat, ac facultates omnes debilitet. Deniq; eorum etiam ratio habenda eſt, quæ EXTRINSECUS adhibentur, & foris incidunt; ut ſunt aer ambiens, balnea, fomenta, inunctiones, emplaſtra; & qvæ vi in noſtra agunt corpora; qvæ omnia præpoſterè adhibita, magni in augendo hac malo ſunt momenti. Sic *Brünner. ex thermarum* uſu inconveniente, malum hoc ſæpiſsimè in deterius lapſum ſe vidiſse, dicit. Quid vero balnea non rtiè uſurpata incommodi ſanitati inferant, omnibus manifeſtum eſt. Fomenta verò, inunctiones; ac alia ejusmodi inconveniti modo applicata, ſatis ſæpè noxæ affectui huic adferunt.

TEMPERAMENTUM verò corporis noſtri, cum ſecundum *Mercat. l. 2. cl 2. p. 2. qu.* 4. *Sennert. l. 1. inſtit. med. c.* non ex elementaribus qualitatibus tantum proveniat; ſed ex calido innato ac influente iisdem junctis, reſultet; illudq; juxta eund. *Mercat. l. c. & Horſt. l. 2. d. tuend. ſanit. ſtud. c. 3. §. 8.* ſit duplex: NATIVUM unum, mediante ſemine ac ſanguine materno â parentibus in liberos traductum; ASCITITIUM alterum, quod ætatum mutationibus, aliisque â cauſis paulò ante enumeratis, inducitur: ſub priore, & diſpoſitiones naturales, ad hunc vel illum morbum facilius recipiendũ â parentibus in libros transplantari, ac mediante eo eis communicari poſſe, mihi videtur rationi optimè conſentaneũ eſſe. Et ſic jure hæreditatis quaſi liberis traditi tales morbi, HÆREDITARII appellantur. Quod ita fieri cum experientiâ multiplici compertum ſit; meritò & tales naturales ac hæreditariæ conſtitutiones, inter cauſas remotas referuntur. Qui verò morbi tales ſint, ac fieri poſsint, *Horſt. in tract. d. ſcorbut. S. 1. Theor. 12. tum ex Galenic.* tum *chymicorum* principiis, diſertè exponit: quibus & noſtrum affectum annumerari poſſe, & ex iis deducere facile eſt, & *Senn. l. 2. pr. p. 2. c. 2.* conſentit: demonſtratq; id mineræ ejus natura, quæ haud difficulter ita fixas in corpore agit radices, ut evelli nullâ penitus poſsit arte. Qui verò fiat, quod diſpoſitiones hæ non ſtatim prima ſeſe exerant ætate; vel etiam interdum deliteſcant planè, jam adducti *auctor. c. l.* exponunt. Obſtare nimirum calorem puerorum innatum fortem, ſeminaq; morbi cohibere; vel eadem in aliis, quoq; virtute balſami innati reſolvi prorſus; ſi præſertim diligens adhibeatur cura, quo temperies iſta naturalis, ac ſub eâ latens conſtitutio morboſa

diſponi,

diſponi aliter poſsit: immutari enim eandem, *Mercat. & l.* impoſſibile pronunciat. Quæ verò temperies naturales ab ejusmodi diſpoſitionibus morboſis immunes, ac earum tincturis fædatæ non, ad affectum, ſuſcipiendũ comparatæ, ac ad cauſas ej9 fovendas ac generandas proclives ſint, *Gal.2. d. temper. cap. ult Hipporc.* 1. *Epid.ſ.1.* docent. Tales nimirum cumprimis, quales *Foreſt.l.10.obſ.16.* fratrum iſtorum quorum jam ſupra facta eſt mentio, deſcribit. Calidas ac ſiccas, vel frigidas ac ſiccas, graciles, hirſutos ac habitu corporis ſtrigoſo. Si vero cauſæ jam enarratæ validæ, in ſanguineum, habitusq; craſsioris hominem etiam incidant, nullum eſt dubiũ, quin etiam in tali corporis conſtitutione, morbus hic exiſtere poſsit. Pueros quin imo, quos præter naturalem ſuam humidam temperiem, & ob curarum ac mœroris immunitatem, huic malo obnoxios negant plurimi, eodem corripi poſse; cauſis iſtis fortiter agentib9: præſertim v. ſi diſpoſitio aliqua naturalis ſubſit, nemo inficias ibit. & ſunt proinde tales diligenter abſervandi, ac uſu rerum non naturalium regendi, ne ea augeatur. Mulieres verò hoc comprehendi poſſe malo, tam manifeſtum eſt, ut probatione non indigeat; & *Hier. Mercur. d. aff. cap & part. annex. l.1. c.* 10. mulieres pejus à melanchol. affici quam viros, probare conatur. Res tandem PRÆTERNATURALES in cauſarum harum non immeritò veniunt cenſum. Ut itaque eo ordine, quo ab autoribus traduntur, eas proponamus. FEBRES primum, eæque varii generis, quam ſæpè humiditate humorum calore ſuo abſorptâ, relictâ parte terreſtri, viſceribusque debilitatis, hoc poſt ſe relinquant malum; vel etiam comitem ſibi adjungant, experientia obſervationesque Medicorum docent. VISCERUM verò δυσκρασιαί; ſive eæ nativæ ſint; ſive à cauſsis prænumeratis inductæ; ita huic affectui generando inſervire poſſunt, ut etiam aliis cauſis remotis; iis etiam alimentis, quæ diverſæ alioquin â minerà ejus ſunt naturæ, qualitatem talem imprimant, ac diſpoſitionem inducant: unde non immeritò ab omnibus, viſcerum infimi ventris accuſatur ἀϑ[illegible]. VENTRICULI primò inbecillitatem in eo ita manifeſtam eſſe, ut ferè â Symptomatibus ab eâdem provenientibus, nonnulli autorũ ſigna hujus affectus pathognomonica deſumere velint; vel exacerbationum ej9 potiorum cauſas in hunc referant; vel etiam primariò affectũ eum dicant, ſupra aphor. 8. diximus,

aliquotq;

aliquotque loca adduximus. Is itaque debilis; ſive à naturæ primordiis talem nactus conſtitutionem; ſive alimentorum vitio eam acceperit, ut aphor. 10. diximus; ſive pravo à Liene ſuppeditato alimento, eandem contraxerit ut eodem expoſuimus loco, & *Senn. l.3. pr p.5. S.1. c.8.* docet, χύλωσιν minus rectè perficit; vel βραδυπεψίας aut ἀπεψίας affectu laborat; vel & omnimoda τῆς πέψεως διαφθορά in eo contingit. Quæ vitia, cum ſecundum vulgatum dicterium; neq; in ſecundâ, neque tertiâ concoctione corrigi poſsint, facilè inde colligi poteſt, quid ex iis commodi in valetudinem hominis ſit redundaturum. LIEN VERÒ AC EPAR, cum plerumque in hoc affectu calidâ præter modum intemperiè laborent; præterquam, quod juxta alios, ac *Bartholin. controverſ. anatom. d. ventre infimo qu. 16. Brünner conſil. 7. Horſt. obſerv. med. Part. 1. lib. 2. obſ.* 4. Suâ caliditate nimiâ ac fervore, ventriculum, parteſque ejus concoctionem adjuvantes, attenuent; omnemque eorum pingvedinem abſumant, & calorem ejus reſolvant, ac diſsipent; etiam chylum nimis avidè, ac crudum adhuc attrahunt; & quidem tenuem ac aquoſam ejus partem maturius, craſſam tardius; atq; illâ in vapores tenues, acres, ac ſubſalſos reſolutâ, inque univerſum corpus, caputque cumprimis diſtributâ; catharri aliique affectus in eo excitantur: doloreſq; vagi, ac ſudores concitantur: hac verò vehiculo ſuo deſtitutâ, in meſenterij, viſcerumque vaſis relictâ, obſtructiones eorum cauſantur, vel etiam calore eorum φλογιστικῷ incraſſatâ magis, ac aduſtâ, humori melancholico materiam præbet, mineraque affectuum talium in ijs locis cumulatur. Et quanquam uti dictum, obſtructiones ſæpiſsimè in hoc affectu concurrant; tamen non opus eſt, eaſdem accuſare ſemper, nec ejꝰ naturam totam complent: ſed ſufficit peculiaris iſta humorum diſpoſitio; uti *Senn. l.3. pr. p.5. S.1. c.3.* docet. LIENIS verò cumprimis functionem vitiatam, ad producendum hoc malum multum habere momenti, ſupra dictum, αἱμάτωσιν que ejꝰ læſam, illo introducendo, ſufficere poſſe. Sic etiam SCIRRHI, INFLAMMATIONES, TUMORESQUE alij horum viſcerum, ejus cauſa exiſtere poſſunt. Nec negari poteſt, PANCREATIS, MESENTERII, AC OMENTI Vitia varia, ut & corruptiones non rarò contingentes, hujus affectus cauſas eſſe poſſe. Quorum etiam exempla in autorum obſervationibus conſignata inveniuntur.

Signa diagnoſtica ſunt; vel ipſum morbum ejusq; eſſentiam detegentia; quæ ex pluribus conjunctis conſtituuntur; dicunturq; παθογνωμονικά: Vel cauſas ejus manifeſtantia, αἰτιογνωμονικά appellata; vel eundem ab aliis ſimilibus affectibus diſcernentia, διαιρετικά vocitata.

σχόλιον.

Signorum doctrinam ac cognitionem medico ſummè neceſſariam eſſe, ac juxta utilem maximè, non eſt quod multis probare conemur: res ipſa loquitur. Cum enim mediante eâ, medicus in morbi cognitionem perveniat, quis non videt, ſine his parum illum proficere in curatione poſſe: ut taceam alias neceſsitatis hujus, utilitatisq; cauſas. Difficilem verò, ac multis obſcuritatibus involutam juxta eſſe: ut non rarô conjecturalem medicinam faciat, quis neget? & certè medicum cumprimis εὐστοχίᾳ præditum eſſe oportet, feliciter hanc qui aggredi velit. Signorum verò plurimæ quanquam dentur differentiæ; tamen potiſsimæ eæ ſunt, quæ in diagnoſtica, & prognoſtica ea diſcriminant, quarum utraque ex eſſentialiter inhærentium, cauſarum, ac effectuum fontibus petuntur.

Παθογνωμονικά igitur 1. ea cum ſint; quæ affectum ipſum, ejusq; eſſentiam conſtituunt; ex uno verò ſigno rariſsimè affectum cognoſcere liceat, quæ ſimul ac conjunctim ſumpta, ea conſtituant; diſpiciendum. Cum v. noſter affectus unam tantum melancholicorum deliriorum det ſpeciem: COMMUNIA cum omnibus ej9 differentiis meritò habebit ſigna. Medici verò cum ſit, non tantum præſentem aliquem curare ac abigere morbum; ſed & imminentem præcavere: INSTANTIS SIGNA meritò primò loco tradenda. Sunt vero ea. Somnus turbulentus, variis ac tetris horrendisq; ſomniis interruptus: cui vigiliæ ſuccedunt: triſtitia ac mœror præter ſolitum hominem invadunt; metusq; comprehendit; cogitationibus nimium indulget, easq; in unâ re defixas habet. Et cum recenſiti jam affectus, ab omnibus autoribus, ut

For.l.10.obſ.12.Holler.l.1.d.morb.intern.c.7.Gorræo definit.med.Hercul. Saxon præl.pract.l.1.c.16 ipſoq; Hippocr.6.aph. 23. tanquam certa ac indubia, melancholici delirij ſigna, conſtituantur; hæc, ſi diu perſeverent, ac indies incrementa capiant, PRÆSENTIS jam melancholiæ ſigna ſunt: ægerq; porrò fit moroſus, taciturnus, conſortia hominum fugiens, ſolitudinemq; amans; ſuſpicaxq; inſuper, multisq; abſurdis cogitationibus ſe macerat, easq; geſtibus ac ſermone profert, iisdemq; pertinaciter inhæret, nec facile dimoveri ab illis, ſe patitur. Et certè tam varia melancholicorum ſunt deliramenta, ut facilè numero ea comprehendi non poſsint, falſæq; imaginationes hoc delirio detentorum, tam diverſæ ac mirabiles interdum, ut haud fidem illas referentes, nonnullis mereri videantur: quorum tamen hiſtorias ac exempla plura hîc adducere & recenſere, opus eſſe non cenſemus, cum & ſupra *aph* 4. quædam propoſita à nobis jam ſint, in *Sennertiq; l.1.pr.p.2.c.8.Foreſt.l.10. obſ.15. & ſeq. Schenck. obſervat: Henrico ab Heer.Obſerv.opp rar.* 27. inveniantur plura eorum conſignata. FEBRI verò carere, etiam inter παθογνωμονικὰ melancholici delirij refertur ſigna. TIMOR tamen & mœſtitia, non ſimili modo ac vehementiâ omnes invadunt melancholicos; cum quidã eorũ ſatis etiam lætari videantur; vel ob cauſas ſupra *aphor.9.* allatas; diſpoſitionem & commiſtionem nimirum humorum variam; vel quod imaginationibus ſuis jucundis ſibi, nimis indulgeant, ut gaudium inde capiant.

PROPRIA verò huic melancholicorum deliriorum ſpeciei ſigna, pro partium affectarum ratione, cauſarumq; varietate, inter ſe diſcrepant. A RELIQUIS enim delirij hujus per conſenſum differentiis, facilè earum ſymptomatum, quæ partes iſtas, â quibus cauſa ſuppeditatur, affectas indicant, abſentiâ diſtingvitur; quanquam in eo, quod continuum non ſit, cum iis commune aliquid habeat. A malo hypochondriaco autem illud ſeparare, nulli res eſt laboris, cum in eo principalia ſuperius enarrata ſymptomata ac ſigna, deſint. Cum vero idem ut de melancholico delirio in genere dictum, ſua habeat primordia ac initia: ea partim ex ſupra allatis peti poſſunt; partim de iis quæ incipienti huic malo accidere ſolent, ſumi. INSTANTE itaq; illo, vel minerâ morbificâ cauſâ aliquâ externâ commotâ: accidere fluctuationes ac æſtus

 hypo

hypochondriorum, diſtenſionesq; ſolent; vel etiam nonnunquam dolores: cumprimis verò ventriculi; qui etiam ructus acidos, flatusq; de ſe ſpirat, ſputoq; multo exundat: cumq; flatibus non ilicò exitus detur, illiq; inter meſenterij tunicas, cavitatemq; ſupra nominatam coerceantur, non leves interdum oriri ſolent cruciatus. Quorum ab illuſtriſsimo quodam hoc malo detento, Leodi *Henric. ab Heer. obſervat. oppido rarar. 27.* ſe aliquando tanto fragore aliquod emitti, audiviſſe ſcribit, ut tot ſcopleta vel muſquetones, ut ille loquitur: explodi crederet. Si verò flatus ac vapores iſti aſcendere, ac ſuperiora petere incipiunt, caloriſque fontem nativi, cor contingunt; in ſummas anguſtias nonnunquam illud redigunt: quod, tum vaporem illum ſe moleſtantem diſcutere, ac à ſe propulſare conatur; inordinatum motum ac violentum inſtituit, palpitareq; incipit: unde ægri de ſummâ ejus anguſtiâ conqueruntur, ut nonnunquam etiam de vitâ deſperent, profundisque, gemitibus auxilium hominum implorent: imò compertum ſit, nonnullos ſibi ipſis manus intuliſſe: cujus exemplum rei, *Henric. ab Heer. obſerv. oppido rarar.* de religioſo alioquin homine refert. Difficilis quinimò Respiratio his conjuncta plerumque eſſe ſolet: vaporibus iſtis ac flatibus; vel diaphragma attollentibus, ac comprimentibus; vel vaporibus muſculis thoracis ſeſe inſinuantibus, eorumq; motum ſtipticâ ſuâ vi, non ſolum impedientibus; ſed & eos conſtringentibus. Quod etiam non raro viſceribus in majorem molem elatis, accidere ſolet. Vapores verò ſi per totum diffundantur corpus, & à centro ad περιφέρειαν tranſeant: Pandiculationes, Horrores, Rigores totius corporis, imo Formicatio ac Titillatio quædam, excitari ſolent: iisdem muſculoſis partibus ſeſe inſinuantibus. Imo nonnunquam ſudoribus toto corpore perfunduntur, iisq; ſæpè frigidiſsimis. In quibusdam etiam partium extremarum calor præternaturalis, ac levis aliqua φλόγωσις percipitur. Faucium verò ac laryngis, lingvæq; muſculos, vapores iſti aridi ſi tranſeunt, nervosque ejus pervadunt, conſtringere non rarò eos ita ſolent, ut ſuffocationis periculum ſibi imminere, conquerantur ægri; lingvâq; rigidâ ac immobili factâ, ſermonis uſu deſtituantur prorſus. Et cum ſpiritus animales non ſolùm imaginationi; ſed aliis

etiam

etiam SENSIBUS inſerviant; vapor iis admiſſus, varias in illis læſiones efficere, ac ſymptomata excitare ſolet. Sic oritur oculorum caligo, ac tenebræ iisdem offunduntur; vel omnia in gyrũ circumagi videntur. AURIUM tinnitus, ſtrepitus ac ſonitus, hoc malo laborantibus, non ſunt infrequentes. SOMNUS fit interruptus, & ut ſupra dictum, multis horrendis ſomniis turbatus: vigiliæq; nonnunquam continuæ. Quibus deliriũ tandem, ut primarium, ac totam affectus hujus eſſentiam complens ſymptoma, accedit. Et quidem enarrata jam ſymptomata omnia, interdum levia eſſe ſolent; facileq; vel adhibitis paucis remediis abiguntur; vel etiam nonnunquam ſpontè calore naturali ſeſe exerente ceſſant. Interdum verò hæc non ſolum diu perſeverare, ac majora ſemper incrementa ſumere ſolent; ſed & alia ſæviora iis accedunt. Unde non delirant tantum valdè ægri, ac variis, imaginationis vanæ deluduntur ſpectris; ſed & tantos interdum, vaporibus iſtis ad cerebri membranas tendentibus, ſentiunt DOLORES; ut cerebrum è cranio ſibi evelli putent: Imo nonnunquam convulſionibus affliguntur, EPILEPSIÆque ſimile quid patiuntur; vapore malignitatis iſtius, nervis inimicæ, gradum adepto. Eodemque craſſo, ac nervorum principio incumbente: vel ſpiritibus vitalibus tranſitum ad cerebrum intercludente, ut vult. *Cl. Nyman. in tract. d. apoplex.* APOPLECTICIS quaſi comprehenduntur paroxyſmis. Per dorſi ſpinam verò illo tendente, ac brachiis aliisque membris incumbente, frigore quaſi perfundi videntur, ac ſtupor movendiq; impotentia in iisdem ſentitur. SUBIECTUM verò, ſeu ſedem mineræ affectus hujus ſi cognoſcere velis; prodit ſe illud ſuis quoque ſignis. EPAR itaque ſi magis reliquis laboret viſceribus, illud ex functione ejus læſâ ſ. *αἱματώσει* primò dignoſcitur; quæ facilè ex vitiatâ percipi poteſt nutritione. OBSTRUCTIONIS verò, INFLAMATIONIS ac SCIRRHI ejus, Signa ſunt; TENSIO DURITIES, DOLOR obtuſus; ad claviculas tamen & humeros ſeſe nonnunquam extendens: muſculis ac membranis eorum ab ichoroſo ſangvine ſalſoq; ſero, inebriatis. URINA quoq; ſi ſit teuuis & rufa, facilè affectum ejus manifeſtare poteſt. Nec non SUDORES copioſi manare interdum ſolent, copioſo iſto à nimiâ jecinoris caliditate attracto ſero, ad ambitum corporis propulſo.

ALVUS verò plerumq; ſtipatur, abſorptâ excrementorum humiditate. SITIS verò infeſtare tali modo affectos, ſemper ſolet. Materia bilioſa ac æruginoſa verò, ſi in ventriculum effundatur, VOMITUS nonnunquam tales ſubſequi ſolent: & quæ aliam hujus viſceris affecti ſigna ſunt, quorum catalogus ex *Senn. l. 3. pr. med. p. 6 ſ. 1. d epat.* affectibus peti poteſt. VENTRICULUS verò, ut dictum ſupra, cum nunquam, aut rariſsimè in hoc malo culpâ vacet, etiam ſuæ diſpoſitionis vitioſæ ſigna ſuppeditat: nec tamen opus eſt, ut in enarrandis iis prolixiores ſimus, cum paſsim in hac diſſertatione mentio eorum fiat. Sunt verò: Nauſea, Orificij ejus ſuperioris dolor, Fames, Ructus acidi, interdum etiam nidoroſi; qui à nimia epatis caliditate chylum in flatus reſolvente, ſumpto cibo, accidere ſolent. Hæc verò, ſi πρωτοπαθικῶς ventriculus laboret, magis vacuo eo cibis, evenire ſolent; calore tum temporis humorem magis commovente. URINÆ cum copioſo cumprimis, ac diverſi coloris ſedimento, craſsæ ac turbidæ reddi ſolent. LIEN, quod ut plurimum in hoc mali fit, ſi primariò laboret, facilè ſe ſignis ſuis in ſiniſtro hypochondrio apparentibus, prodit; colorq; faciei, ac habitus totius, illum laborantem manifeſtat. Appetentia inſuper nimia, acidum humorem in eo peccantem inq; ventriculum eum eructantem indicat. Urinæ quoque illum produnt; aliaque circa hunc accidentia ſatis cognita omnibus, ſe oſtendunt.

ÆSTUS HYPOCHONDRIORUM, ac præcordiorum, doloresq; circa ſpinam dorſi, ac os ſacrum lumborumq; vertebras, MESENTERIUM à labe hujus mineræ immune eſſe minimè, ſignificant, vaſorumque ejus æſtum inſignem indicant: Unde etiam palpitationes præcordiorum ac pulſationes, à flatibus calore iſto nimio concitatis; vel arteria magna aliisq; viſcerum iſtorum æſtum ſentientibus, ac refrigerium ejus quærentibus, uti *Senn. l. p. 3. p. 5. ſ. 1. c. 4.* VOMITUS quoque ita affectis non ſunt infrequentes. Chylus enim, venas meſeraicas obſtructas, ac aduſto humore repletas tranſire nequiens, ad ventriculum regurgitat. CAUSA verò ſeu minera hujus mali, itidem ſuis cognoſcitur ſignis, ex iisdem petitis fontibus. Non enim uti dictum ſupra, ex uno tantum humore minera ejus conſtat, ſed ex pluribus miſtis, producitur. Qui cum omnes ſuis inter ſe dignoſci poſsint ſignis; dum ex eo-

rum

rum doctrinâ ea petenda ſunt; dum ex jam ſæpius dictis pateſcunt: pro eorum enim naturâ, ſymptomata hujus affectus variare multum, non ſemel jam enarravimus.

APHOR. XII.

Prognoſtica de affectu hoc quæ ferri poſſunt; vel de eventu ejus judicant; vel tempus eventus indicant; vel quò evaſurus ſit affectus, monſtrant.

σχόλιον.

Cum non immeritò antequam curationem affectus alicujus Medicus ſuſcipiat, conſideret; num is eam admittat; vel cauſa ejus talis ſit, quæ abigi ac extirpari poſsit: ne morbo incurabili adhibitis generoſis medicamentis, apud vulgus ea infamet, ut *Gal. l. 11. meth. med. c. 9.* ait. Et nos, quæ in præſenti affectu, nobis concipienda ſit ſpes, diſpiciamus. Quæ verò de eo feruntur prognoſtica, ex iisdem, ut ſigna diagnoſtica, ſumi poſſunt fontibus Si CAUSAM itaq; acminceram primò affectus hujus conſideramus: eſſe humorem pertinacem, craſſum ac refractarium, invenimus; qui etiam medicamentorum ſatis validorum ac generoſorum vim, interdum eludit: ex quib9, curatu ita facilem eum non eſſe, quisquam haud difficulter conjicere poterit. Et quo magis aduſtus ille eſt, ac atræ bilis naturam induit, eo magis medicamentorum viribus reſiſtit; præſertim ita validam ſi nactus ſit diſpoſitionem, quæ alios quosvis humores obvios ſibi, in ſui convertat naturam. Nec hoc difficultatem curationi levem infert, quod ut dictum ſupra, *aph. 9.* humor iſte tam diverſæ naturæ ſit, exq; partibus craſsis ac tenuibus conſtet; quæ magnam indicationum faciunt repugnantiam, diuturnamq; reddunt curationem. Quo verò mitior humor exiſtit, benignioriſq; naturæ, eo facilior ejus eſt extirpatio. SUBIECTI rationem ſi habeas: certè, quo plures laborant partes, quoq; fortius diſpoſitionem illam impreſſam habent; vel Hæreditarium malum ſit: quoque pejus afficiuntur, eo gravius malum eſt, ac difficilioris curationis. Cum verò ut dictum ſupra, viſcerum inferioris ventris ἀντιπεράξια in eo ſemper detur, eaq; mali hujus pertinacis cauſa potiſsima ſit; conjectura erit haud difficilis, quam operoſa ejus ſit curatio. Dum enim uni ſuccurre-

revolumus, facile alteri noxam inferre poſſumus. Levius tamen malum, ac facilioris depulſionis eſt, ſi unicum tantum viſcus afficiatur, vel etiam duo; diſpoſitioq; iſta non altas in iis radices egerit; affectusque eorum non ita graves ſint, & in ſuperficie quaſi hæreant. Ita enim Lien, aut epar, levi aliquâ intemperie, vel obſtructione affecti, facile ad integritatem reducuntur: ventriculusq; aliquanto debilior, confortari non ita magno labore poteſt.

Mesenterii verò, ac Omenti vitia, graviora multò ſunt; præcipuè poſtèrioris, ad quod medicamentorum vis facilè penetrare non poteſt. In genere verò Subjectum ſi conſideres, Viri mulieribus minus periclitari in hoc dicuntur affectu. Ætatis ratione, juvenes & viri, ſenibus minus difficulter laborare ex hoc dicuntur. Ex quibus omnibus facile concludi poteſt: quo leviora ac pauciora ſint ſymptomata, eo mitius, vel deterius eſſe malum. Et cum nonnunquam in maniam degenerare queat; morum mutatione illud facile cognoſci poteſt: ſi ex mœſtitiâ ac mœrore, ad hilaritatem tranſeant, riſumque interdum miſceant: quod calidorum omnium, ac vini uſu interdicto, præcaveri poterit. Nec minor metus eſt, ne minera iſta vel vaporibus malignam aliquam qualitatem adeptis, copioſèque ad cerebrum delatis, vel cruditatibus auctis, narcoticamq; vim conceptis; in Epilepsias, Convulsionem vel apoplexiam degeneret; præſertim diuturnitate mali valdè debilitato cerebro.

Lethale verò per ſe quidem malum non eſt, niſi ex accidenti, aliis advenientibus prædictisq; Symptomatibus, tale fiat, ut *Hippocr. 1. d. morb. ſ. 2. t. 2.* habet.

Aphor. XII.

Curatio ritè ac ſecundum Methodum medendi inſtituta, ex indicationum ſeriè adornatur, ac juxta eam perficitur.

χόλιον

Longam ſæpe causarum in morbis ſeriem dari, ſupra dictum; eas verò omnes eo ordine quo ſeſe inſequuntur, removendas eſſe, curationis jubent leges: ſemper ab eâ incipiendo, quæ reliquas

movet,

movet, ac auget, adq; affectum actu efficiendum perducit ac diſponit; donec ad illam perveniatur, quæ proximè morbo conjuncta eſt, eumque fovet; quâ ſublatâ, facilis etiam ejus remotio. Ut ſic, quod in inventione fuit ultimum, in executione ſit primum. Cum alioquin, ſi methodus iſta non attendatur, morbique curatio cauſâ præſente tentetur, nihil felici procedat ſucceſſu, uti *Gal. l.* 1. *meth. med. c.10. & l.4. c.4.3 d. compoſ. med. c.1.* dicit.

Cauſis jam ſublatis ad AFFECTUM ipſum rectâ contendimus viâ, eique commoda adhibemus remedia, ſemper tamen cumprimis VIRIUM habendo rationem: & ſi quid præterea URGENTIORIS incidat SYMPTOMATIS, illud non negligendo. Et eſt hæc ſola illa cynoſura, quâ duce, in omnibus corporis humani affectibus curandis, Medicus finem optatum attingere poteſt, quâque ſolâ genuinus Medicus, ab Empirico imperitoque diſcerni poteſt. Cui methodo uſitatæ, affectus noſtri etiam accommdabimus curationem, eandem ſecundum indicationum ſeriem proſequendo. PRÆSERVATORIAM nimirum, cauſæ remotioni quæ inſervit, primò proponemus loco. Dehinc CURATORIAM, ipſum morbum quæ reſpicit, ſiſtemus. VITALEM verò, quæ virium conſervationi ac robori ſtudet, ubiq; diligenter obſerbavimus; cum in præcedentium utrâq; concurrat, Nec urgentia negligemus Symptomata,

APHOR. XIII.

Indicatio Vitalis; cum rerum non naturalium uſu ac adminiſtratione legitimâ cumprimis perficiatur: & ſanitati integræ adhuc ſua ſuppeditat præſidia, & collapſæ præbet remedia, adeoq; utriq; Medicinæ parti, tum ὑγιεινῇ, tum θεραπευτικῇ, inſervit.

σχόλιον.

Tutius eſſe hoſtem non admittere, quam admiſſum debellare; ſcitum eſt dictum. Id quod ſi attenderent multi, certè ſanitati ſuæ melius conſulerent; Cujus jacturam non pauci ſibi ipſis adſciſcunt. Cum enim ſanitas magnus vitæ noſtræ ſit theſaurus, maximumq; hominis bonum, nullo precio redimendum; ſtudioſè

omninò

omninò quilibet quæ ad integritatem ejus conſervandam faciunt, obſervare deberet. Illud verò præſidiis aliis, quam rerum non naturalium uſu legitimo, obtineri melius cum haud poſsit, eo majorem eidem adhibere curam debemus. Cum autem ut ſupra. *aphor. 10.* diximus, res iſtæ, non ſolum valetudinis integræ ſint præſidia, ſed & adverſæ remedia; uti etiam *Celſus* nobiſcum facit; meritò earum adminiſtrationi legitimæ, eum conſtituimus locum; quo & valetudini integræ adhuc, vel vacillanti aliquomodo, præſidia ſuppeditari, ac à mali hujus inſultu tueri ea poſsit: & collapſæ jam violentiâ morbi vires, reſtaurari queant. Vita enim noſtra in calido & humido cum conſiſtat, Sanitatisque vigor integritate ejus ſuſtentetur; illiusque beneficio ſolius, plurimi morbi propulſentur; meritò omne ſtudium in eo ponendum nobis eſt, quo ſalvam illam ſubſtantiam calidam ac humidam conſervare poſsimus. Illa verò cum indies defluat, inſtauratione opus habet ne deficiat prorſus: huic operi autem præſidia alia, ac commodiora alimentis, inveniri haud queunt. Omnia enim à vegetabilibus ac animantibus aſsumpta, corpora noſtra aliâ ratione nutriunt nullâ, vegetaque ac ſana conſervant; quam quod calido iſto ſubſtantifico ſint prædita, quo noſtrum humidum primigenium reparant ac reſtaurant, uti *Sen. l. 1. inſt. c. 5. d. conſ. & Diſs. c. 10. & Cl. Sperling. tract. d. calid. innat.* diſertè docent. Quo itaque cibus ac potus calidi illius ſubſtantifici plus habet, illudque purius eſt, ac noſtro cognatum quodammodo, eo melius corpora noſtra nutrit, ac in vigore ſuo conſervat. Cæteræ v. res non naturales ad hujus conſervationem quid conferant ſymboli, ex iis quæ *aphor. 10.* diximus facilè erui ac intelligi poteſt. Si verò ullo alio in affectu bonâ opus diætâ, ac verum illud, quod *Scholz. conſ. 58. & 182. & Solenand. ſ. 2. conſ. 7.* ægris ſuis cumprimis præcipiunt: Omnia medicamenta fruſtra adhiberi, niſi victus ratio obſervetur probè, reliquarumque rerum non naturalium uſus ſit legitimus; certè in hoc præſenti, illud locum habet maximè, experientiaque veritatem ejus confirmat. Cum enim nihil magis hoc humorum vitium corrigere, ac malam viſcerum dipoſitionem emendare poſsit, quam purus laudabilisque ſanguis; omnis adhibenda cura, quo talis generetur. Fieri autem hoc commodius non poteſt, quam ſi omnia ea, quæ in

cauſis remotis, ac rebus non naturalibus ſupra *aphor.10.* recenſuimus, toto vitentur ſtudio, eorumque quantum fieri poſsit, ne minimum admittatur: præſertim in iis, in quibus vel occultam aliquam diſpoſitionem latitare, vel ſeminium aliquod mineræ hujus mali ſubeſſe ſuſpicio eſt; vel quorum temperamentum naturale proclive ad illud videtur. Contra verò ea in uſum vocentur, quæ humidum illud ſubſtantificum augere, & ut beneficio roboris ejus laudabilis ſanguis producatur, facere poſſunt, humorumque vitium devincere, ac viſcerum malam diſpoſitionem ad naturalem ſtatum reducere queunt. *Senn.l. 4. inſt.p.2. c. 1.* Non. tamen crambem biscoctam offerre, ac tædium lectori creare volumus, ea quæ *alleg. in aphoriſ.* prolixiori ſerie recenſuimus, huc trahendo; ſed ſalubriorum tantum rerum uſum hic proponemus. Et cum, uti *Jo. Lang. l. 1. epiſt.55.* dicit: ſobria victus ratio omnium virtutum bonarum diſpenſatrix ſit, & *Gal*: teſte eodem, inquiat: Animus adipe & ſanguine ſuffocatus, nihil cœleſte meditari poteſt; temperantiam cumprimis & ſanitatis, virtutumque omnium matrem, in hoc præcavendo malo, omnibus commendatam volumus: juxtaque *Hippocr.* illa ſuggerentem conſilia, 6. *epid. comm. 4. text. 22.* ἄσκησις ὑγιείης ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων. *Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis ac impigrum eſſe ad labores.* it. *Quiete & abſtinentia multi magni morbi curantur*: in horum uſum ſeſe ut gerat ſvademꝰ. Studioſeq; quemlibet, cui ſanitas ſua cordi a accuræ eſt, regulas à Medicis in legitimo harum uſu attendendas traditas, obſervare decet, cum ex eorum neglectu facilè jacturam ejus pati poſsit. Aer itaque quantum quidem cujusq; conditio fert, eligatur: purus, lucidus, calidus, in ſiccitate ac humiditate temperatus, magis tamen ad hanc inclinans, inhabitet potius loca in edito ſita, ac ventorum ſalubrium flatu expoſita, âq; lacubꝰ ac ſtagnantibus aquis remotiora, fluminumq; potius ac rivorum præterlapſu irrigata, amœniſsimisq; viridariorum ac ſylvarum viciſsitudinibus jucunda. Si verò in aëre huic malo generando apto, vivere teneatur; præterquam quod hypochauſto lignis aridis calefacto ſe contineat, vitia iſta corrigantur ſuffimigiis accenſis, ex *bacc. lauri, junip, lignialoes, thur: maſtich. ſuccin. roſmar. ſtyrac. ladan, benzoe.* &c. & ex his confectis atque trochiſcis pulveribus. Cujus formam *Scholz.*

conſi,. 183. præſcripſit. Omnia namq; ſuaveolentia ſpiritus reficiunt.

Esculenta quæ in hunc admittuntur cenſum, omnia boni ſint ſucci & laudabilis, multi nutrimenti, concoctuque facilia, facultateque ſimul aliqua attenuandi, incidendi, aperiendique pollentia; vel quibus ea non ineſt, tali præditis additis corrigantur, nunquam tamen neglectis humectantibus. Panis ſit albus, ê flore farinæ ſecalis, vel etiam tritici, benê, non tamen nimis fermentatus; major enim fermenti portio, humori huic augendo facile prodeſſe poteſt: Sit benè coctus recensq; aliquo modo. Carnes optimæ, non duræ, quæ teneriores, abundanti tamẽ pingvedine non gaudeant, juniorũm potiꝰ animalium, ac elixæ magis quam aſſæ, commedantur. Conditæ tamen ſint, ne nimiâ humiditate flatus excitent, uti *Fien.de d.flat.c.7.* demonſtrat: coquantur itaque, *nuce moschat. mac. cinamom. croco, Seminib. carvi, fænicul. bacc. juniperi. capparib. radic. fænic. petroſelin paſtinac.* Sintq; eæ, *vituli, agni, vervec. capreol. lepor. junior. capon. pullor. perdic. turdor. alaudar. &c.* Pisces in uſum non veniant, niſi ſaxatiles carnemque friabilem habentes: *ut Lucij, percæ, trotiæ, fundili &c.* ccyprini nulli, præter eos qui in fluminibꝰ capiuntur, eodemq; modo condiri debent. De reliquis v. quoſdam etiam interdum commedere ſi quem libido invadat, illos aſſos potius ut uſurpet, cum *Fien.c.l.* ſvademus, ut corruptio eorum putredinalis, ac flatulentia inhibeatur aliquo modo. Quibus omnibus interdum ad appetentiam dejectam ſuſcitandam, exhalationesque cohibendas, acidiuſcula quædam, ut ſunt, *Limon, citria mala & ſucc. eorum, it. ſucc. ribium, berberum*; imò acetum ipſum addi poſſunt. Alias namque acida & acetum, huic malo non conveniunt, cum potius humorem melancholicum augeant, uti *Senn. ex Hippocr. 3. d. rat. vict. in acut t.38. l. 1. med. pr. p. 1. c. 12. Paralipom.* 3. *ad l.* 1 *p. pr. p.* 107. & alijs in locis, It: *Horſt. l.3. ep.*3. 4. & 5. deducunt, *à Cl. Dn. D. Jac. Jan. Reg. Dan. Medic. in manuſcript.* diſſertiſsimè demonſtrat: ſuccos dictos acidos, easdem cum aceto habere qualitates, eosdemque edere effectus. Juscula cumprimis carnium enumeratis jam condimentis præparata, optimè conveniunt in hoc affectu, cum alvum laxent, aridaq; viſcera humectent: quod & alia ex aquâ, ac cereviſiâ butyroq; condita additis vitellis ovorum, efficere poſſunt. De his tamen *Joan. Freytag. in tractat. german d. hoc affect.* dicit:

in ſe ipſo comperiſſe eorum continuum uſum non omnibus convenire naturis; frigido præſertim ventriculo laborantibus Ova ſint tremula. FRUCTUUM uſus in hoc malo omnino parcâ largiatur manu, paucique ex eorum numero admittantur. Ut ſunt amygdal d. uvæ paſſæ, pruna ungarica, piſtac: pinei, Poma Borsdoffor. aliaq; dulcia ac aromatico ſapore prædita, pyra ultimâ interdum apponantur menſâ, ut & cydonia mala. Rapa verò, præſertim leviter exiccata, non omninò ſunt rejicienda, cum calidum ac humidum præbeant nutrimentum, *Cratoq;* eorum decoctum in morbis melancholicis maximè commendet; betæ item radices non prorſus ſunt noxiæ. Ex LEGEMINIBUS pauca eligantur, ut ſunt hordeum ac avena, ê quibus juſcua & pultes conficiuntur. OLERA pleraque parcâ in hoc affectu præbeantur manu, & potius condimenti ac alimenti medicamentoſi partes gerant, quam alimenti. Præ reliquis concedi poſſunt: aſparag. prima germina, lactuca, endivia, ſpinachia, ac cichor. alia, vel cum aliis cibis cocta, vel oleo aut butyro, paucoque aceto condita: reliqua verò tantùm aliis adduntur ferculis, ut *roſmarin. Salv. meliſſa bugloſſa vel flor: ear. major. &c.* EMBAMMATA quinimò fieri poſſunt ex narſturt. aquat. cochlear. ut & pauco interdum raphano ruſtican. ac Sinapi. *Cappares* cumprimis condimentum ſunt ſalutare, quorum uſu ſolum, cum aquâ ferrariâ, *Anton. Beniven. Obſ. 105.* ſe, virum toto ſeptennio lienis vitio detentum, paucorum dierum ſpatio curraſſe ſcribit: coctos tamen quam ſolùm conditos ob coctionis difficultatem magis laudarim. *Beta* quin etiam *rubra* aliquid huc confert. POTUS huic affectui conveniens, ſit VINUM benè maturum, non nimis recens, nec vetuſtum, ſubdulce, non tenuè admodum, nec etiam fortè multum: poteſtque illud fieri medicatum, *abſinth.* (cujus uſum *Foreſt.* ut & *Senn.* in hoc affectu commendant) *meliſsa, ſcolopendr. centaur. min. cardbened.* it. *cochlear. enulâ.* cumprimis, addititis paſſulis, aliisque huic humori corrigendo dicatis, ſpiritusque tum animales, tum vitales roborantibus: uſus quoque ejus non admodum largus ſit. CEREVISIA benè ſit defecata ac lupulata; quæ & iisdem reddi poteſt medicata herbis. Hydropotæ verò ac abſtemii, aquâ dictis correctâ utantur, cujus uſum *Freytag. c. l.* multis commendat. Et quanquanquam abſtinentiam optimum hujus mali remedium eſſe ſupra diximus; tamen ita id intelligimus minimè, ac ſi autores eſſe:

 cuj-

cujquam velimus, jejunio continuo ut ſe maceret, ac inediæ tradat: cum & *Foreſt.* & *Horſt.* ex diuturnâ eâ, quosdam hoc incurriſſe malum teſtentur; Sed non nimis ut ſe oneret cibo ac potu. Cum humore melancholico abundantes, plerumq; plus appetant cibi, quam concoquere poſsint: & ita nec jejunium diu ferunt; nec cibum nimium tolerant. Hoc verò cumprimis ijs â malo iſto qui ſibi metuunt, plurimum utilitatis affert: Si præſertim à cibo ructibus infeſtentur; ut prandio vel cænâ abſolutâ, pulvere aliquo πεττικῷ utantur, quo concoctio adjuvetur, flatusque diſcutiantur, ac exhalationes nimiæ cohibeantur. Formulæ horum paſsim in autorum libris dantur.

ANIMI commotationes vehementiores ſtudiosè vitentur; hilaritatis ac gaudio interim potius quam morœri ac triſtitiæ quæ inſerviunt, ſedulò amplectantur.

CORPORIS EXERCITA itidem â medocritate non recedant, ineanturque ea potius tempore matutino ante prandium.

SOMNUM etiam & VIGILIAS moderatas, optimum eſſe ſanitatis tuendæ præſidium, ſupra diximus; in iis igitur ne modus excedatur, opera danda, ac Hippocr. obſervandum præceptum ſemper *3. aph. 2.* quod habet; idq; attendendum diligenter, quod *Marſil. Ficin. d. ſtudioſ. ſanit. tuend. c. 7.* de iis qui noctem in diem convertunt, ſcribit. Somnus tamen aliquantò longior, ut in omni humorum vitio corrigendo, ita & in hoc multum emolumenti habet: nec meridianus, ut ſupra diximus, ita noxius eſt, ut à plerisque cenſetur. ALVUS ut reſpondeat ſemper, attendendum; & ſi ſpontè ſuo non fungatur munere, arte promovenda. Quod juſculis carnium pingvioribus in quibus paſſulæ coctæ ſint, vel parum mannæ diſſolutum fuerit, vel etiam prunorum brodio commodè fieri poteſt. *Horſt. l. 3. ep. ſ. 3. Elect. d. tamarindis* in hunc uſum, ob humectationem ſuam commendat. RELIQUARUM evacuationum conſvetarum ſi quædam intermiſſa ſit, vel ſubſtiterit, maturè revocanda. VENERIS quinimo uſus legitimus, ut ſanitati conſervandæ non parum confert, ita eum huic præcavendo malo prodeſſe, plurimi dicunt, cum & plerumq; hoc affecti, ſint ſalaces. MENSTRUORUM in mulieribus fluxus, nunquam deficiat.

BALNEA deniq; non levem in hoc malo habent uſum, præſertim in iis qui corpore ſunt ſicco, ac intemperie viſcerum calidâ laborant.

borant. Sint verò æquæ dulcis, modicè calida, ac convenientibus herbis præparata, quibus in labro inſideat. Sudorifera verò his conveniunt minimè, cum corpora magis exiccent ac debilitent.

Ne tamen in his omnibus ſeveriorem exerceamus diſciplinam; ſed conſvetudini appetuiq; interdum aliquid concedamus, *Hippocr. aphor. aliquibus ſ.* 2. nos monet; ptæcipuè verò 38. dicit: *Paulo deterior & potus & cibus, ſvavior tamen, meliori quidem*, ſed *inſvaſiori præferendus* eſt: & 50. *Conſveta longo tempore, etſi deteriora ſint, inſvetis minus moleſta eſſe ſolent:* quibus etiam *Sennert. Paralip. 9. ad inſtitut.* Calculum ſuum addit, egregieq; de conſvetudine diſſerit. Plura in hanc rem facientia, qui habere vult, exquiſitamq; horum omnium rationem ſibi dari deſiderat, adeat *Obſerv. Petr For. l. 10. obſ. 15. & ſeqq. Conſil. med. Scholtz. 175. & ſeqq. Solonandr. Brünner. conſ. 7. & ſeqq. Horſt. l. 3. ep. ſ. 4. & 5. Joh. Freytag. tract. german. &c.*

APHOR. XIV.

Indicatio præſervatoria in cauſæ antecedentis, ſeu mineræ morbificæ correctione & ablatione eſt occupata, variosque Medico ſuggerit ſcopos, omni auxiliorum genere peragendos.

σχόλιον.

Quâ ratione quibusq; præſidiis immunem ſe ab affectus hujus inſultu præſtare quis poſsit, ac quæ in præcavendo eo maximè ſint obſervanda, jam diximus; ex quibus quæ & huic indicationi inſervire poſsint, petantur. In hac enim ſolum ea, quæ cauſam, ſeu mineram jam præſentem, pharmacorum uſu, ac manuum operâ corrigere ac tollere poſſunt, proſequemur. Si enim iſtis præſidiis ſanitas tueri ita non poſsit, ut omnis avertatur noxa; vel eorum neglectu cauſa ac minera hujus affectus colligatur; illi corrigendæ Medicus alia adhibere remedia debet. Omne verò humorum vitium, ſecundum Medicorum vulgatam ſententiam; ut *Senn. l. 2 inſt.* p. 2. c. 3. docet, IN PLETHORA ac CACOCHYMIA cum conſiſtat. ILLA v. IN PURAM, in quâ purus tantũ ſangvis quantitate abundat, ac corpori moleſtus eſt, & NOTHAM, quæ admiſtis aliis humo-

moribꝰ & quantitate, & qualitate, & motu peccat, dividatur. Hæc v. CACOCHYMIA, ſit, vel humorũ excrementitiorũ naturalium præter modum exſuperantium; vel præternaturalium quâvis etiam copiâ peccantium; & vel ſubſtantiæ modo, vel qualitatibus ſuis primis aut ſecundis, vel motu ac loco corpus lædentium. PRIUS vitium ſecundum modos diverſos, quibus corpori moleſtum ac grave eſt, Indicat; vel ſui DIMINUTIONEM AC REPLETIONEM, vel REVULSIONEM; vel DERIVATIONEM; imò & REPULSIONEM. Quorum auxiliorum materiæ ex omnibus tribus fontibus, diætetico, chirurgico ac, pharmaceutico, peti cum poſsint, De primo a. in *anteced. aph.* prolixè ſatis actum ſit; poſtremus verò in hoc caſu vix locum habeat: in præſenti, de iis tantum ſanguinis vitium corrigendi modis agemus, qui manifeſti ſunt, ac chirurgi præſertim opera perficiuntur. POTERIUS verò CACOCHYMIA ſcil: tot ſuppeditat indicationes, quot modis corpori moleſta eſſe ſolet, totque Medico proponit ſcopos, quot operationibus indicationibus ſatis fieri poteſt. Materia verò indicatorum auxiliorum, ex iisdem depromitur fontibus.

Atque ita DUO indicationis hujus præſervatoriæ conſtituimus membra principalia. Quorum primum SANGUINIS vitiis corrigendis inſervit. Alterum CACOCHIMYÆ MELANCHOLICæ, præparationem ac ablationẽ ſimulq; eâdẽ opera VISCERUM concoctionem correctionem tradit: quæ ſi ſingula Medico ſuos ſuggerunt ſcopos.

Membr. I. Sangvis quantitate, qualitate ac ſubſtantiâ peccans evacuandus.

Quamvis enim Sangvis hujus affectus cauſa ſit minimè, tamen ſi is abundet, vel caliditate jecoris nimium ferveat; ne corrumpatur ac labem trahat; vel incaleſcens ſupra modum, majorem fervorem partibus inducat, malumque augeatur, educandus eſt. Quod enim *Gal. 11. method. med. c.* 4. de putredine ſangvuinis ac humorum in corpore noſtro dicit; calida & humida in loco calido & humido non perflata facile putreſcunt; id etiam aliis ſangvinis corruptionibus, optimè accomodari poteſt; quas dum non ventilatur, facile concipit. Si itaque is vel abundet nimirum,

um; vel labem hujus mali traxiſſe videatur; vel etiam nimis fervere deprehendatur; evacuandus ac diminuendus eſt. Et aſſerit *Horſt. l. 3. epiſt. ac conſ. med. S. 4.* frequentiores, & ſœpius repitas ſangvinis evacuationes, in hoc affectu plurimum valere. VENÆ ſectio verò ut potiſsimum ſangvinis evacuandi remedium, ſi uſus ſvadeat, præmiſſo leniente ex ſecundo membro petendo, in PLETHORÂ quidem purâ ac magnâ, commodè in brachij vel dextri, vel ſiniſtri, ſ JECORARIÂ SPLENICA aut MEDIANA, adminiſtratur: quâ peractâ vel etiam in minori plenitudine, eâ omiſſa, nihil impedit, quin indicante præſente, & aliæ tundi poſsint venæ. Et ex *Galen. præcepto lib. d. cur. rat. per Sangvin. miſſion c. 14.* plurimi practicorum, in tali caſu SALVATELLÆ ſiniſtræ manus ſectionem multum commendant. Quam & *Petr. For. l. 10. obſerv. 19.* magno commodo in melancholiâ hypochondriacâ ſæpè inciſam teſtatur; & *Petr. Bajer. ſ. 2. d. cur. corp. hum. mal. c. 13*, ſectionem ejus commodam maximè in hoc aſſerit affectu; uti & *Joan. M. caſtellan. in phylactir. phlebotom.* Cumprimis verò *Adrian. Spigel. l. 5. d. hum. corpor. fabr. c. 7.* ſingularibus eam effert laudibus, rationemque ſe hujus rei firmam ſatis inveniſſe dicit: ἀναςόμωσιν nimirum venæ hujus cum plurimis arteriis, cujus beneficio, melius ſangvis ê Liene ſeducatur, quam ullius venæ apertione. Quam quidem rationem *Senn. paralipom. ad inſt. 3.* in quo prolixè de hujus venæ ſectione diſſerit, etiam aliquo modo ſtare poſſe concedit, eam tamen non omnem eximere ſcrupulum, ſimul ibid. affirmat. Crurum quoque venæ, ut malleoli, aut poplitis, juxta *eund. Senn.* in hoc affectu magnâ cum utilitate aperiri poſſunt, cùm humor melancholicus, utpote gravis naturâ, ſemper ad inferiora deſcendere ſoleat. De PRÆPARATIONE verò ad V S. ac ijs, quæ in ipsâ ſangvinis emiſsione obſervanda ſunt, videatur *Joan. Jeſſen. à Jeſſ. in judic. d. ſangv. V. S. dimiſſo*, & jam *citat. Caſtellan.* QUANTUM verò mittendum, ægri natura, ætas, ac aliæ conditiones indicant. Cum enim ſangvis vitæ theſaurus, non nimis prodigi ejus eſſe debemus. HÆMORRHOIDUM fluxus, juxta *Hippocr. aph. 11. ſ. 5.* magnum quoque hoc affectu detentis, affert commodum; præſertim ſpontaneus ſi ſit: hoc verò ſi non fiat, arte quoque promoveri ac cieri poteſt: vel HIRUDINIBUS appoſitis; cujus obſervat: *Amat. Luſitan. centur. 4. obſerv.* 42. exhibet, juxtaque docet, quibus remediis nimium inde fluentes, ſint cohibendæ; vel

etiam PANNORUM aſperorum fricatione. In iis tamen quibus nunquam antea fluxerunt, vix arte proritari poſſe, *Sennert.* dicit. CUCURBITULÆ vix locum in hoc habent affectu; cum, quæ vicariæ V. S. eſſe debent, majorem eâ ipsâ moleſtiam adferant, ê reliquarum applicatione verò, vix aliquid commodi ſperare liceat.

Membr. II. Cacochymia melancholica varios Medico proponit ſcopos, ſecundum indicantium ſeriem exequendos.

1. Scop: Minera mali circa primas vias hærens, leniente educatur.

Mineræ hujus mali quæ debeantur remedia, prudens Medicus facile indagare poterit. Maximæ verò ejus partis ſedes cum circa viſcera naturalia ac vaſa eorum fit, quantam alvi LENITIO in hoc poſsit habere utilitatem, facile eſt judicare. Sæpius enim inſtituta prohibet: ne malum ad reliquas corporis ſerpat partes, ſangvinemq; bonum inficiat, ac illi communicatâ labe, majora excitet mala. Et cum alias autorum conſenſu, humori melancholico non tantum, utpote contumaci ac refractario, in principio fortiora non ſint adhibenda purgantia, ne magis ferox reddatur & exaſperetur; ſed & in omni morbo ab humorum vitio orto, primæ viæ ſint mundandæ, ut reliquis medicamentis pateant, eorumq; operationem non impediant; ac ne valentioribus in principio uſurpatis catharticis, vitioſi humores in iis ſtabulantes, in venas rapiantur; & vel earum obſtructiones pariant, vel bonos etiam corrumpant humores; certè ex *Sennert.* præcepto illud maximè hic attendendum.

Perficitur autem LENIENTIBUS per Os ſumptis, quorum materia: SIMPLIC. *Caſsia rec. tract. Mann. Tamarind. polypod. qu. pruna, Tartar.*

COMPOS. *Elect. lenit. Fl. d. tamarind. Horſt. paſſul. laxat. conſerv. roſ. c. mann. ſir. roſ. ſol. viol.*

DOSIN horum, vel ipſius mineræ quantitas, vel vires, ætas, tempus, aliæq; conditiones determinant. TEMPUS vacuo ſto- macho-

macho commodiſsimum eſt. Sumendi MODUS, liquidâ ſubſtantia melior, cum ſicciora omnia fortius operentur. FORMULÆ palatui ægri accommodantur, nec opus ducimus earum hic apponere ſeriem, cum ſatis ubique copia illarum in autorum libris detur. Cumprimis verò *Horſt. l.3. ep. ſ. 4. pilul. Marocoſtin.* ſe in caſu hoc maximo cum emolumento ℈j vel etiam ℈ß pondere exhibuiſſe, dicit.

Si verò in inteſtinis materiæ multum hæreat, ægerq; CLYSTERES admittat, felicius illi operantur: qui etiam, ut in omni ferè affectu optimum ſunt remedium; & juxta *Senn. Horſt. l.3. ep. ſ.4.* in hoc præcipuè magnum afferunt commodum. MATERIA eorum, & quidem LENIORUM, qui hic tantum locum habent, deſumitur: Ex EMOLLIENTIUM ac LAXANTIUM ordine; quibus & flatus diſcutientia, abſtergentiaq; leniter, addi ſolent, ut: *rad. lil. alth. polypod. qu. herbar. emoll. fumar. fl. chamæm. ſem. aniſ. carv. melon. endiv. prunor. furfur. in aqu. commun. vel hord. ſ. coct. quib. poſt coct. add. Elect. len. & diacath.* ad ℥j benedicit laxat. ʒvj *hier. ſ. ad* ʒiij *conf. ham. ad* ʒj quæ poſteriora tria ſtimuli gratia interdum addi ſolent *mel. roſ. col. vel. mercurial. ad* ℥j *ol. viol. chamæm. amygdal.* ℥jß *it. lil. alb. & ſal. parum.*

SUPPOSITORIA leniora commodè etiam hic adhiberi poſſunt, quæ ſatis nota omnibus.

VOMITORIA quin etiam, ſi materiæ crudæ multum in ventriculo circaq; ej9 orificium hæreat, magno cum emolumento exhibentur. Hoc loco verò mitiora tantum admittuntur: ut *aqu. tepid. hord. hydromel. decoctum raphan.* quib9 olei ac mellis aliquid additur; imò *infuſum radic. aſar.* etiam non inutile eſt.

2. Scopus. Humor melancholicus cum admiſtis præparetur, ſimulq; eâdem operâ obſtructiones vaſorum reſerantur, pleniorique evacuationi omnia apta reddantur.

Et eſt in hac operatione ſingulare ſtudium ac diligens cautio adhibenda; ut ita medicamenta attemperentur, ne tum uni intentioni inſervire ſtudeamus, alteri obſimus. Cum enim plerumq;

ardor & ſiccitas venarum meſeraicarum adſit, & aliquid inflammationi ſimile partes iſtæ habeant; aperientia verò, incidentia, ac attenuantia, calida ſint, humectantibus ita admiſcenda ſunt, ut ſimul utrique ſcopo ſatis fiat. Diligenter quoque Medico attendendum erit, quæ humorum ſit conditio, & quis præ reliquis abundet, quodque membrum præcipuè læſum ſit: ut non ſolum jam recenſitis qualitatibus prædita adhibeat; ſed cuilibet humori ac parti ſpecialiter dicata.

MATERIA ſumitur: ex GALENICOR: cenſu: SIMPLIC. RADIC. *fænic. aſparag. eryng. caryophyl. filic. gramin. borrag. bugloſs. cichor. ſcorzon. helen. polypod. qu. glycyrrhiz. centaur. min.* CORTIC. *cappar tamariſc. fraxin. citri* FOL. *ceterach ſcolopendr. chamædr. chamæpyth. capill. ♀, meliſs. betonic endiv. cichor. fumar. cuſcut. abſinth. cardebened. betonic.* FLOR. *cord. cent. min. ſamb. geniſt.* SEM. *aniſ. fœnic. endiv. ocym. major. 4. frigid. geniſt.* FRUCT. *pruna, amygdal.* Ex quibus variA parari poſſunt medicamenta: ut ſunt *decocta, infuſa, vina medicat. it. cereviſ.* SIRUP ut *d. quinq; & duaq; rad. byzanth. d. fumar. ſcolopend borrag. bugloſs. endiv. epithym. lupul. polypod. d. pomis,* qui præcipuè in hoc commendatur affectu. Sic & *ſcelotyrbic. Excell. Dn. Præſid.* qui per ſe, vel cum *aqu.* recenſitorum jam ſimplic. aut aliis compoſ. ut *Scorbutic.* & *Splenetic. Senn. aperitiv. Dn. Præſid.* miſti, aliisque etiam convenientibus additis, ſumuntur. CONSERVÆ itidem ac, CONDITA varia ex iis parata in officinis proſtant?

PULVERUM quoq; ac SPECIER. aromatic. imò & TROCHISCH. ad hunc ſcopum explendum facientium, non minor etiam datur proventus.

CHYMICI quoque, cum ſimplicium, tum compoſitorum non minorem nobis in hoc malo medicamentorum ſuppeditant ſupellectilem, ut ESSENT. *abſinth. meliſſ. ſcolopendr. chamædr. cardbened. hyperici,* quæ cumprimis ut inſigne ſpecificum in hoc commendatur affectu. EXTRACT. *cichor. abſinth. veronic. ſcolopendr. ſcorzoner. eryng. centaur. min. enul. croci,* quod etiam magnæ utilitatis eſſe dicitur. SPIR. ⊕j ♂ ⊖ *ling. gvajac.* ♀j, MAGISTER. ♀j, *corall. margarit.* ☽*are,* ☉*are &c.* In quorum omnium uſu id attendendum cumprimis eſt, ut ſemper â MITIORIBUS ad FORTIORA progrediamur; nec

iu

in principio ſtatim validè incidentia, aperientia, ac attenuantia exhibeam9: quæ, præterquam quod diuretica ſimul ſint, ac vitioſos humores ad venas & renes ſecum rapiant, majoraq; in iis mala excitent; & calida ſint omnia, ac ſiccitatem vaſorum augeant: proin ut ante dictum, ita contemperanda cum humectantibus ſunt, ut omni intentioni ſatisfiat. Omnia verò medicamenta majori emolumento FORMA LIQVIDA exhibentur, quam ſicca. Et ſingularem uſum in hoc affectu *ſerum lactis caprill.* præſtat: in quo, vel ſimplicia infundi ac coqui, vel *ſucci eſſent.* ac *extract. pulvereſq;* diſſolvi queunt; vel iis ſumptis, ut & *pilulis* è *trochiſc.* paratis deglutitis, ſuperbibi poteſt: uti *Senn. l. 1. p. 1. c. 12. med. pr.* modum id ſumendi tradit, & tanquam ſummæ utilitatis ſæpius uſurpatum commendat. Si quis verò â flatulentiâ ejus noxiam aliquam metuat, facilè ea addit. *Sem. aniſ. fœnic. ac coriandr.* imò *ligni ſaſſafr.* præcaveri poteſt. Crato ut in omnibus affectibus melancholicis, ita in hoc, decoctum raporum ut maximè utile medicamentum commendat: cum quo & *Horſt. l. 3. ep. med. ſ. 4.* conſentit; qui & *eodem loco* ſuccis cumprimis depuratis ex viridib. plantis expreſsis, magnam efficaciam ob ſal volatile tribuit. Illud verò hic prætereundum minimè, CHYMIC. ſuis ex ♀ro paratis medicamentis magnam in hoc caſu tribuere vim; ita ut *Hartman in praxi chymiatric.* ♀rum ⊖lat. cum *Crollio* univerſale apellet digeſtivum: nec minorem efficaciam *ſpir.* ⊖♂ ac ♀ habere aſſerunt. Cum verò hæc medicamenta omnia ſint ACIDA, non immeritò *Senn. paralip. 3. ad lib. 1. med. pr. p. 1. c. 12.* & cum eo *Clar. Dn. D. Iac. Ian. Regis. Dan. Medic. in manuſcript.* non ſolum dubitant, num in hoc affectu tanta virtus iis tribuenda ſit? Sed contra potius aſſerunt, quod ea, utpotè calida non ſolum multum ac ſucco corp9 nimis exiccent; ſed & acida humorem melancholicum augeant, & juxta *Hippocr.* exaltent: & ſi uſus eorum in eo aliquis ſit, incidendi ac attenuandi tantum cauſa, calidosq; ac ferocientes vapores cohibendi, in modicâ quantitate ac parcâ manu ſint adhibenda. Ex quibus jam enumeratis medicamentis, tam ſimplicibus quam compoſitis, facilè quilibet artis ſuæ gnarus probè; & pro ægri conditione, & rei neceſsitate, formulas concinnare poterit; nec opus eſt earum ſeriem hic pertexere, cum autorum libri iisdem ſint ſatis referti.

 QUAN-

QUANTITATEM verò horum, itidem indicantis determinant conditiones, partiumque affectarum vitii magnitudo, ac modus læſionis.

TEMPUS quoq; his matutinum, tribus aut quatuor horis ante prandium, convenientiſsimum; nec poſt uſum eorum quieſcat ſtatim, ſed leniter obambulet: quo medicamentum in viſcera deſcendat, visque ejus iis pœnitius ſeſe inſinuet.

3. Scopus: Humor melancholicus jam præparatus, pleniori aliquanto evacuatione educatur, juxtaq; ulterior ejus correctionon negligatur.

Præparantibus jam enumeratis per aliquod dies exhibitis, validius aliquomodo purgans dandũ, ut, quod jam evacuationi aptum redditum, ê corpore ejiciatur. Non tamen validiſsima ideò uſurpanda cenſemus; cum & juxt. *Senn.* qui calorem habent debilem iſta non ferant; & *Hippocr omnes qui ad extremum tendunt evacuationes ſint malæ 1. aph. 3. & 2. aph. 15. omne nimium naturæ inimicum*: nec cum iis facimus, qui ☿ ac ♁ in hac affectu miris efferunt laudibus, & tanquam ſpecifica commendant; uti *Ioan. Petr. Fab. in Mirothec. chymic.* item *Hartman. prax. chymiatr.* niſi fortè in deſperato prorſus fiat malo, corporibusq; robuſtis, vitioſis humoribus ſcatentibus: ſed potius benigniora ac mitiora ſæpius repetita cum *Senn. Craton.* ac aliis probamus. Et tutius eſt, ſenſim, ac per ἐπίκρασιν vitioſos educere humores, quam forti aliquâ purgatione calidum innatum deſtruere. Cum n. plurimorum autorum conſenſu, omnia electivè purgantia, vim aliquam corpori noſtro inimicam, ac quaſi deleteriã habeant, multò magis fortiſsima iſta eâ erunt prædita.

MATERIAM SIMPLICIUM purgantium ut ſubjiciamus hîc, ſupervacaneum erit, cum cuilibet, vel mediocriter in re mediâ verſato, ignotum haud eſſe poterit, cui humori, quæ ſint dicata.

BILIS igitur ſi ſuperet: *Extr. rhabarb. rad. aſar. ſcammon. ſir. roſ. ſol. diaſer. fl. perſic. Elect. d. pſyll. ſucc. roſ. roſat. meſv. Pilul. aur. aggregativ &c.* exhibentur.

PITUITÆ abundanti conveniunt. *Syr. d. cartham. d. chelap Elect. diaphœnic. ind. maj. caryocoſt. Extract. mechoac. marocoſtin. pilul. coch. maſtichin. pulv. laxativ. vegetab. D. Dn. Schn.*

MELAN-

MELANCHOL. & atræ bili debentur. *Extract. ſen. hellebor. nigr. epithym. melanagog. Qu. Sir. d. ſen. d. epithym. conf hamech. pil ♀ræ Qu. & d. ammonic.* SERUM ſi abundet *Gummi d. peru. Extr. cnicopharmac. cucum ſylv. Phlegmag. Qu.* Ex his pro re natâ, intentioneq; ſuâ ac indicantium naturâ, quilibet prudens medicus ſibi facile commoda ſeligere poterit medicamenta, ex iisq; formulas concinnare: quæ etiam ut ſupra jam dictum; variæ eſſe poſſunt. *Sennert. loc. ſæpius c.* ex *Cratonis* ſententiâ, *Sirup. & electuar.* cum *aq. ror. majal.* ſoluta ac exhibita commendat, quod ea ſit penetrantiſsimè ſubtilitatis. Et commodiſsimè purgantia hæc cum præparantibus miſceri, adeoq; duas has operationes conjungi, ac utrique ſcopo ſatisfieri poſſe, *Sennert.* dicit; cum quo etiam omnes ferè autores conſentiunt: in quorum obſervat. ac libr. pr. ſatis ampſam talium formularum reperire eſt, Sylvam, ut proin quædam ſubnectere opus non ſit: adeantur. *Caſp. Peucer. Practic. Med. c. 2. d. melanchol. hypoch. Fel. Plat. l. 1. obſerv. Petr. For. l. 10 obſ. 15. Franc. Joel. l. 1. pr. ſ 2 d. melanch. Amat. Luſit. cent. 4. obſ. 42. Scholz. Conſil. it. Solenand. Brünner. conſ. l. 6. & Sequ. Horſt. l. 2. obſ. p. 1. obſ. p. 1. obſ. 13. & al. it. l. 3. ep. ſ. 4 & 5. Gvalt: Bruel.* it: *Joan. Schröter. proavus m, in conſil. à Wittich. collectis*, & alij: quorum nomina hic recenſere omnia, nihil ad rem faceret: & invenies omnes huic inſtitiſſe viæ, hacq; methodo incurando hoc affectu, magno emolumento uſos fuiſſe. CLYSTERUM quoq; & in hoc explendo ſcopo inſignem eſſe uſum, & *Horſt. cum Senn.* conſentit. Conſtare autē eorum materia ex acrioribus aliquo modo purgantibus ac ſtimulantibus hîc debet, majoriq; aliquanto doſi *electuaria* iſta fortiora addi poſſunt. VOMITORIA etiam hoc in caſu magno exhibentur cum fructu: cum interdum (ut dictum ſupra) operâ iſtorum, ea evacuentur, quæ nullo medicamento purgante educi potuerunt. Et aſſerit *Senn.* his cumprimis mineram cavitatis iſtius ſiniſtri hypochondrij, cujus mentionem *aphor.* 8. fecimus, ſæpè feliciter ejici. MATERIAM iis præbent, & ſupra jam enumerata, & fortiora aliquanto. CHYMICI ⊕*l. ſuum album vomitivum*, ac *Sal.* ⊕*li* multum commendant. *Crocum metall. ad gr. iiij in vino per noctem infuſum*: quem cum ⊖ *abſinth* prparat. ac eodem modo uſurpatum, *Hadrian. à Mynſ. in Theſaur. & Armamentar. Medic. Chymic.* in hoc affectu proficuum maximè eſſe, aſſerit, ex

eoq;

eoq; etiam *oxyſacharum* ſuum *emeticum* præparat: qui & eodem loco ♀*rum emeticum* contra hunc affectum prodeſſe dicit. *Hartman. in prax. chymiatr. aquam benedictam Rulandi* laudat.

Ad correctionem verò ac præparationem ulteriorem humoris melancholici, diſpoſitionisque iſtius ſpecificæ extirpationem, jam ſupra recenſita adhibeantur medicamenta: inter quæ præſertim *abſinthium* magni uſus eſſe dicitur, & refert *Philip. Hechſter. in Obſ. rar. dec. 2.* ex quotidiano uſu ejus, â Juvene quodam, àtram materiam, per inferiora ac ſuperiora rejectam fuiſſe. Et ſi per aliquot dies PRÆPARANTIA cum purgantibus miſta exhibita ſint, ad ſola præparantia iterum tranſeundum, eorumque aliquanto valentiora uſurpanda; præſertim detergendi vi quæ prædita ſint: ut, ſi quid viſcerum vaſis adhuc infarctum ſit, tollatur. In quem uſum *trochiſc. d. cappar. abſinth. rhabar. agrimon. lacc.* commodè exhibentur. Id tamen quod monuimus ſupra, tenendo ſemper: ut vel in *ſero lactis* ac alio propinentur liquore, vel iiſdem talis ſuperbibatur, & majori aliquanto doſi illud hic exhibere, ac ad ℥ iij. pro ægri conditione interdū de die propinare nihil prohibet, præcipitq; idem *Senn.* Feliciter enim quicquid mineræ ſupereſt, educit, aridaque humectat vaſa ac viſcera. Nec inutile erit, de roborantibus ijs aliquid addere, ut ſunt *ſpec. diarrhod. ab diatr. ſantal. diambr. diamoſch. d. cordial. temp. d. hyacinth. &c.* non tamen confertim hauriendum; ſed potius unum calicem poſt alterum pitiſſando, bibendum eſt. Omnium tandem præcipuum, ac generoſiſsimum remedium, ac ut *Jul. Cœſ. claudian. reſponſ. 29.* inquit, proprium melanchol. hypochondriacæ alexipharmacum perhibetur, CHALYBS præparatus. De cujus uſu ac præparatione, videatur *Senn. l. 1. med. pr. p. 2. c. 12. l. 3. p. 5. S. 1. c. 6. it. Philip. Hechſtett. obſerv. rar. dec. 2. caſ. 4. Horſt. problem. med. decad. 7. qu. 2.* Et parantur variarum ex eodem formularum medicamenta, quorum catalogum videre licet *in Pharmacop. Medic. chymic. Jo Schröderi l. 3. c. 3.* In noſtra offcin. habet *electuar. & pulv. digeſtiv. Splenet. Cl. Dn. D. Schn.* ex *limatur* ejus præparat. *Hadrian. â Mynſ. in Theſaur. & Armamentar. Medic. chymic. magiſter.* ♂ *aperitiu.* in hoc laudat affectu, it: *Tinctur.* ejusdem. Omnibus verò his ante ferendas eſſe ACIDULAS omnes conſentiunt medici: quæ proinde, ſi eas adeundi detur copia, non ſunt negligendæ: & haud efficacius viſce-

viſcerum obſtructiones reſerandi ijs dari remedium, ſi ritè & cum ratione uſurpentur, omnes conſentiunt. Vis enim mineralis ita arctè ac exactè aquæ communicata ac conjuncta eſt, ut nullâ arte tale produci poſsit medicamentum. Apud Noſtrates præcipuè Egranæ ac Svalbacenſ. commendantur: de quarum priorib. *Martin. Mayer. Lic. Phyſic. Egran. germanic. conſcripſit tractatum.* Nec omninò nullum fructum ſperare licet è thermarum uſu, Si juſto modo adhibeatur. Alioquin uti *Sen. ac Brûnn·Horſt l. 3. ep. 5. 4.* aſſerunt, & intra & extra ſumptæ etiam non levem noxam corpori inferre poſſunt. Quæ proin non omnibus indiſcriminatim ſvadentur; ſed ijs qui corpore ſunt ſicco ac emaciato potius interdicuntur. Plura verô de vitiorum, viſcerum omnium curatione, ac correctione in præſenti tradere, nihil attinet, nec opus cenſemus: cum & præcipuis in hoc affectu eorum, jam recenſitis modis ac remediis, ſimul ſuccurri poſsit; ac artè ſuâ ritè inſtructus medicus, pro re natâ, ac indicantis naturà aliisque conditionibus ac circumſtantiis, facilè ea invenire queat nec enim inſtituti noſtri ratio omnia hoc loco comprehendere permittit,

4. Scopus, Quod ſupereſt materiæ educatur, vel purgantibus; vel diureticis; vel etiam diſcutiatur ſudoriferis.

PURGATIO quâ ratione inſtitui debeat, non opꝰ eſt ulterius exponere cum id ſupra ſatisfactum. Nec attinet de DIURETICIS plura facere verba, ac eorum materiam recenſere, cum ea ex jam enumeratis præparantibus ac aperientibꝰ, petit poſsit: cumprimis verò acidulæ, ac in nonnullis thermæ inſignem huic intentioni conferant fructum. Plurimi quidem eorum planè rejiciunt uſum: uti *Holler. d. morb. intern. c. 1. in Schol.* cum quo & *ſeptal. animadv. med. l. 7. caut. 61.* facit. Sed in eo potius *Senn. l. 3. pr. med. p. 5. S. 1. c. 6. & For. l. 10. obſ. 18.* aſſentimur; qui magno cum fructu in morbis melancholicis, ac lienis affectibus ea uſurpari affirmant: quibus etiam experientia adſtipulatur ſatis. Et videmus interdum naturam magno cum ægri levamine ſpontaneas tales moliri evacuationes: Cujus exemplum & mihi videre nuper contigit in ſtudioſo quodam; qui febre laborans, ac magnis capitis doloribus excruciatus,

lotium inſtar atramenti nigrum & craſſum, magno cum morbi levamine reddebat.

SUDORIFERA verò intra mediocritatis limites meritò ſunt continenda. Materiam iis præbent. *Lign. Gvajac* præcipuè verò *rad. ſarſaparill.* ac *chinæ*: & *theriat.* ac *mithritat*: *quæ Senn.* & alii etiam in hoc affectu commendant multum, non incommodè ad hunc referri poſſe locum videtur. CHYMIC. ♁ *diaphoret. CC. philoſoph. præpar. ſpir.* ♀ *i ſambuc. ebul. Hadrian. à Mynſicht. in Armamentar. Medic. chymic. arcanum ſuum duplicat.* commendant. Quibus & *pulver. bezoardic.* alliiq; non immeritò adhibentur. Non tamen in omnibus tutò adhibentur omnia; & ſiccis emaciatisq; corporibus, ac calido aëre, non ita conveniunt: quoque tutius ea cum aliis humectantibus, ſpecificâq; virtute agentibus, miſcentur, ac aſſumuntur. TEMPUS verò hæc uſurpandi matutinum quoque commodiſsimũ eſſe, quis ignorat. DOSIN itidem indicantis quantitas, ægri natura, ac aliæ determinant conditiones.

5. Scop: Materia ac humor vaporq; ad caput jam ruens, vel in viſceribus quidem hærens, vergentiam tamen ad id habens, omni ab eo revellatur, ac avertatur ingenio.

Tandem non immeritò ad hunc locum, materiæ ad caput ruentis, nondum tamen eidem prorſus inſinuatæ ac impactæ, REVULSIO & AVERSIO etiam refertur; quæ crurum cumprimis CAUTERISATIONE perficitur, LIGATURISQUE ac FRICTIONIBUS extremorum tentatur, ac LOTIONIBUS pedum, manuumq; aquâ, herbis cephalicis ac aliis commodis coctâ, peragitur. Imò non tantum humores ac eorum vapores jam ad caput ruentes, his revulſionum modis ab eodem revocantur; Sed & in viſceribus ac vaſis adhuc hærens materia, ne eo tendat, illis avertitur. Præſertim verò FONTICULI, ut in omni fluxionum genere â capite avertendo, plurimum habent momenti, ita & in hoc affectu, ac vaporibus ſeroſisque humoribus ab eo removendis, magni ſunt commodi. Nihil verò obſtat, quin & averſionis gratia; & ii, & alia cautoria in brachiis, aliisque partibus excitari queant: imò & ſetaceum hic locum

habere

habere poſsit. De cauteriis verò, eorum uſu commodo, ac applicatione legitimâ. *Caſp. Bartholin. tractat. Eruditum*; conſcripſit: de Setacii verò commodiſsimâ applicandi ratione. *Guilibel. Fabr. Hildan. obſ. Chirurg. centur. 1. obſ. 41. & 42. & cent. 4. obſ. 6. 7. t tradit.*

6. Sc. Viſcerum debilitati ac vitiis per externa quoque ſuccuratur.

Externa denique in hoc affectu minimè ſunt negligenda, cum magno interdum cum emolumento & ſymptomatum levamine adhibeantur: præſertim in ijs, qui continuis ventriculi fluctuationibus ac ructibus infeſtantur, flatuumque ac rugituum ventris moleſtiis ſunt obnoxii. Cum n. omnis à medicamentis humidâ ac liquidâ forma exhibitis noxa præcaveri haud poſsit, ut non interdum ſymptomatum dictorum cauſæ exiſtant; meritò prudens medicus quo averti illa poſsit, omni laborare debet conatu. Quibus autem id efficere queat remediis, commodiora dictis haut habet. Et fortius ſæpè extra applicata flatus diſcutiunt, duraque viſcera emolliunt, ac obſtructiones eorum reſolvunt, ſimulque calorem fovent, quam intra corpus ſumpta. Varia autem auxiliorum illorum datur materia, quæ pro intentione ſuâ facilè artis ſuæ potens eligere poterit. Diverſâ quoque applicantur formâ. Nunc enim fotus, ex cujlibet parti dicatis, aliisque pro indicantis naturâ additis, coctis nimirum ſimplic. vino, aut alio liquore, calidisque applicatis: nunc herbæ ſiccæ adplicantur, Emplaſtra ac cerota imponuntur. Ungventaque & olea pulveribus ac ſpeciebus miſta, illinuntur. Dantur verò plerumque in officinis cujlibet viſceri ſpecialiter dicata emplaſtra ac ungventa. Sic notum eſt *Cerot. ſtomachal. Emplaſtr. d. cruſt panis Emplaſtr. d. melilot. bacc. lauri, ad flatus diſcut. ol. ſtomach. ungv. ſtomachic.*

Epati conveniunt. *Cerot. Santalin. ungv. roſ. Meſu.*

Lieni inſerviunt. *Emplaſtr. Splenetic. Senn. ungvet. ſplenet. Nymann.*

Balnea ultimò non incommoda hic eſſe, *Senn. l. 1. pr. p. 2. c. 2* aſſerit: præſertim prægreſſam fortiorem purgationẽ ſi inſequantur, eodemque modo ut præcedenti aphor. diximus, præparata ſint.

Indicatio curatoria â causâ continente, affectuq; ipſo deſumitur, quibus neceſsaria adhibere docet remedia; partiumque principaliter affectarum diſpoſitioni vitioſæ corrigendæ, ac robori eorum inſtaurando, reliquiisq; affectus ac cauſarum extirpandis, commoda ſubminiſtrat remedia.

σχόλιον.

Omnis â CAUSÂ CONTINENTE deſumpta INDICATIO juxta *Senn. l. 5. Inſt. S. 1. p. 2. c. 2.* Communemq; practicorum conſenſum, ac rationis normam, CURATORIA cum ſit; & nos, nè â recto tramitè deviaſſe accuſemur, meritò AFFECTUS ipſius CURATIONI, & ILLIUS etiam conjungimus: cum & unâ eademque operâ commodè id fieri, ac utrique intentioni inſerviri poſsit. Sublato enim ac diſcuſso pravo iſto vapore, facile ſpiritibus naturalis ſua redit diſpoſito. Et quanquam ſublatâ causâ antecedente, minerâque vapores exſpirante, exhalatio iſta ceſſare, ac fumus deficere debeat; viſceribusq; hypochondriorum correctis, generatio ejus ulterior impedita videatur: tamen cum rarò malum ita radicitus extirpari, diſpoſitioq; ac μίασμα illud deleri penitus poſsit, ut nihil amplius de ſe effumet. vel etiam vapores ſublatâ minerâ ſimul auferantur omnes; RELIQUIÆ ejus ſunt AUFERENDÆ, âque CAPITE AVERTENDÆ, ac DISSIPANDÆ. Ne verò PARTES PRINCIPES eos porrò recipiant, eæ ſunt ROBORANDÆ. Imò cum interdum præſervatoriâ indicatione neglectâ, curatoriæ tantũ attendere cogamur, ac quibus præſidiis ab inſultu mali ægrum liberare, ac in IPSO PAROXYSMO tractare debeamus, ôpera danda nobis veniat. Eô hîc nobis omni ingenio laborandum, quo propoſitos hos SCOPOS adimplere poſsimus; cum quæ vaporis natura ſit, hîc exponere porrò, nihil attineat. Non verò operoſo ad eos conſequendos utemur apparatu; nec ſingularibus terminis eos ſecludemus, cum ferè coincidant ſemper.

PRIMO itaque ijs ſatisfieri poteſt, quæ & generationem vaporis impediunt, ac aſcenſum ejus ad caput prohibent; eaque partim ex antecedentis aphoris. Schol. peti, partim ex ventriculum robo-

rantium cenſu deſumi, partim ex eorum ordine, quæ ad *flatus* diſcutiendos, reliquiasque extirpandas poſtea proponentur, mutuari poſſunt Et inſignem in explendo hoc ſcopo pulveres peptici dicti, habent uſum. ALTER verò REVULSIONEM & AVERSIONEM propoſitam qui habet, manuumque præcipuè perficitur opera; cum in præcedenti aphoriſm. ſatis dilucidatus ſit, inde ſua petit præſidia. Magni verò in inſultibus hujus mali ab omnibus perhibetur momenti.

TERTIUS tandem, UTRIQUE INTENTIONI inſervit, ac in ipſis PAROXYSMIS etiam locum habet. Cum enim diſcuſsio ac diſsipatio vaporum ac fumorum, non medicamentorum ſolùm perficiatur operâ; Sed & ROBUR PARTIUM cumprimis requiratur ad eam, dum huic conciliando ac conſervando ſtudemus, & illi proſumus. Omnia quoque medicamenta ad hunc ſcopum comparata, partibus principalibus roborandis præcipuè ſunt deſtinata. Ex ampliſsimâ verò eorum ſylvâ, facilè prudens medicus, quæ ſuæ ſatis facere poſſint intentioni, pro re natâ ac ægri naturâ, aliisque conditionibus, ſeliget. INSERVIUNT verò huic uſui, omnia CEPHALICA ac CARDIACA dicta, tam ſimplicia, quam compoſita; SPIRITUSQUE ANIMALES ac VITALES REFICIENTIA cuncta; nec non VENTRICULUM ac VISCERA PRINCIPALIA ROBORANTIA: quorum ampliſsimum ac patentiſsimum in autorum ſcriptis eſt invenire campum. *Ambra* verò cumprimis, quæ in hoc genere facilè primas tenet, multum in hoc affectu à *Sennerto* & aliis commendatur; quod idem & omnes cum eâ paratæ cofectiones præſtare dicuntur. Nec minoris utilitatis Bezoar, & omnes ab eo denominati pulveres perhibentur. Cum non tantum Cor, quod ferè ſemper ſimul affectum eſſe ſupra diximus; ſed & cerebrum corroborent. Solare verò cumprimis & ejus *extract. ab Hadrian. à Mynſ.* deſcriptum, à multis commendatur. *Alkermes* quoque confectio magnis à multis effertur laudibus, & *Senn.* qui *l. 1. pr. med p. 2. c. 12.* non pauca in hanc rem facientia proponit, eam magnarum eſſe virium aſſerit. *Horſt. l. 3. ep. S. 4. deſt llat. ex Zedoar. Sem. aniſ. ac fænic.* in hujus morbi inſultu commendat, ejusque deſcriptionem. *P. 1. l. 2. obſ. 13* exhibet. idem *Brünner. Conſil. 7.* de *Rotulis, ex extract. pæon. lign. aloe. Zedoar. galang. margarit. ac crall.* cum *ol. nuc. moſch. mac. cinamom aniſ. carvi* paratis, ac ſucco, ex *Extr. cardbened. ſcabioſ. meliſſ. calam aromatic Sach. alb. aqu. meliſſ. ſol.* & *Syr. acetoſitat. citri*, confecto, facit; quaſique de magnâ ejus efficaciâ gloria-

gloriatur. Quales etiam medicamentorum formulas *Joan. Schrö-ter. proav. m. inconſil. à Wittich. coll. trad. Theriac.* quin etiam & *mithri-dat.* in naturis aliquo modo craſsioribus ac frigidiorib9. *For. l.* 10. *obſ.* 15. commendat. CHYMICI ſua etiam nobis hic conferunt. *Ang. Sala d. Eſſent. vegetab. Hypperic. eſſent.* ſingulare hujus mali antidotum eſſe perhibet; cujus & peculiarem deſcriptionem *Adrian. à Mynſ. in Armamentar. Medico Chymic. tradit:* qui & *eodem loco tinctur. propriet. ex Elix propriet. ac confect. alkerm. florib. tunic.* proponit, ac commendat: nec minoris efficaciæ *meliſſæ eſſent.* dicunt. *Croci* verò *eſſent. Petræus in Noſolog. Harmoniac. generale deoppilativum, ſpiritumq; vitæ, animam & cor lætificantem, extremumq; deſperationis remedium* vocat.: *Dan. Becker. in Spagyr. microcoſm. quintam eſſent. Sangvinis humani,* etiam huic affectui inſigne remedium præbere dicit. Imprimis verò *ſpiritum cerebri humani* tanquam univerſale cerebri confortativum & *Hartman. in prax. chymiatr. & Agricol. in comment. ad Popp.* commendant. *Extract. itid. enul. ſcorzon. radic.* hic plurimum conferre dicuntur. *Olea* quoq; ac *ſpiritus* ex *cardiac.* parati multi hic ſunt uſus. Metalla deniq; & lapides pretioſi chymica arte præparati, magni hic eſſe uſus, feruntur. Hinc *Petræ. Noſolog Harmoniaca. l. c.* cum eoq; *Hartman. c. l. it. Agric.* ☽*æ tincturam* ingentis in cerebro roborando eſſe virtutis, affirmant. *Potabilem* verò eam redditam *Hadrian. à Mynſ. c. l. ſpecificum capitale eſſe dicit, quod unamquamq; naturam ab omnibus periculoſiſſimis capitis affectibus curare & præſervari poſſit. Auri* verò *tinct.* ut & *ol.* ejus ac *potabile* redditũ, in cordis viribus, ac ſpiritu inſito conſervandis ac inſtaurandis, magnarum eſſe virium *iidem* perhibent; idq; ex analogiâ majoris ac minoris mundi deducunt. *Saphyr.* verò *Schmaragd.* ac *corall. tincturam* ſpecificam in hoc caſu habere virtutem plurimi aſſerunt; uti *Hadr. à Mynſ.* ejus deſcriptionem tradit, ac ejus uſum præcipuum in hoc affectu eſſe affirmat. Ex quibus recenſitis omnibus, quæ remediorum formulæ pro intentione ac ægri conditione concinnari poſsint, facilè ſuæ artis gnarus, invenire poteſt Medicus.

EXTERNA tandem, nec in hoc ſcopo adimplendo ſunt negligenda. VARIA autem ea itidem ſunt, tum partes principes quibus adhibentur roborantes, vaporesq; ab iis prohibentes; tum eos diſcutientes. Et deſumitur MATERIA eorum, partim ex jam enumeratis,

tim

partim ab externis partibus principibus dicatis. Diverſa etiam applicari poſſunt forma, ut *embroch. oxyrrhod. cucuph. epithemat. fomenti, emplaſtri, ungventi & olei, pulveribus* nonnunquam miſtis. *Forſ. l. 10, obſ. 19. ol. vi. ol.* ac *anetb.* caput inungere jubet præcipitq; idem, ut pectinetur pectine ex ariet. corn. confecto.

APHOR. XVI.

Tandem: Symptomatibus potioribus ac urgentibus magis, ſuccurrendum.

Innumeram ferè Symptomatum affectum hunc edere ſobolem, tantamq; eorum eſſe varietatem, ut illorum ſeriem pertexere, ac numero comprehendere haud liceat; ſupra *aphor. 10.* ubi de ſignis diagnoſticis egimus, dictum; quorum & præcipua ibi â nobis expoſita fuerunt. Eorum verò curam omnium tradere ac proponere hîc velimus; quantum ordiendum eſſet nobis opus, integrumq; volumẽ id haud caperet. Nec poſsunt ita delineari ac proponi, ut ſe ſæpiſsimè in hoc affectu detentis offerunt. Et facilè arte ſuâ inſtructus ritè Medicus, iis commoda applicare & invenire poteſt remedia. Quanquam verò omnium curatio â cauſæ ſublatione dependeat; tamen interdum tam vehementia incidere ſolent, ut neglectâ quaſi causâ, Medicus iisdem ſuccurrerè cogatur. Triſtitia verò ac mœror, metusq;, quanquam præcipua hujus affectus ſint ſymptomata; tamen aliis remediis curationem eorum haud perficere poſſumus ac depulſionem moliri, quam tum antecedenti, tum continenti cauſæ aliisq; in præcedentibus aphoriſm. dicatis. Imprimis verò eo laborandum, quo omnes ſenſus jucundis oblectentur objectis, triſtitiæq; ac mœroris causâ præſcisâ, gaudium potius ac lætitiæ offeratur materia. Medicum enim non corporis tantum ſed & animi quoq; curam gerere debere, *Horſt. Problemat. Med. decad. 2. qu. 10.* plurimis demonſtrat autorum ſententiis.

Ventriculi ac hypochondriorum verò fluctuationibus, tensionibus, rugitibus, nonnunquam etiam doloribus moleſtiſſimis, in hoc malo, ac hypochondriacâ affectione non infrequentibus, familiaribusq; ferè, ea quæ in præcedentibus propoſuimus, tum externa, tum interna adhibeantur remedia. Vomitus autem, qui nec ipſi in affectibus iſtis rari eſſe ſolent, quorumq; cauſas ſupra *aph. 11.* dedimus, & eorum aliquot miras annotârunt hiſtorias,

Guil.

Guil. Fabric cent. 4, *obſ.* 32. *Henr. ab Heer. obſ.* 29. cumq; quib9, *Senn. l.* 3. *pr. p.* 5. *S.* 1. *c.* 4. ægros interdum diu vivere ſine moleſtiâ poſſe, dicit, ſi accidant graviores, viresq; dejiciant, compeſcendi ſunt: id quod fit: *conſerv. roſ. rubr. tormentil. rad. acetoſ. menth. diacydon. c.* & *ſin. ſpec. CC c. uſt. præparat. bolo armen. corall. rubr. maſtich. ſpod. ſir. maſtich. d. cortic. citr. myrtill.* &c. Extraq; iis applicatis, quæ aphor. 14. propoſuimus. ALVI contra STIPATIO, perpetuus quaſi hypochondriacorum malorum comes eſſe ſolet, multorumq; interdum in iis malorum ac ſymptomatum cauſa; cujus etiam plures ab autoribus referuntur caſus: præcipuè verò *Alexand Benedict. l.* 19. *d. cur. morb. rat. c.* 36. *Fernel. l.* 6. *part. morb. ac ſymptom. c.* 10. *Foreſt. l.* 2. *obſerv* 34. *in ſchol. Schenck. l.* 3. *obſ. Hennric ab Heer. c. l.* horum aliquod annotárunt; qui etiam abſq; omni in nonnullis accidérunt moleſtiâ, nihilq; damni inde ægri perceperunt. Cauſam hujus ſupra, *aphor.* 11. itidem expoſuimus. ALIAM tamen ex chymicorum principiis deductam, ac â ☿rio ſenſum obtundente, ⊖q; ⦶rosi ſtimulum coërcente, 🜍eq; excrementio ſpiſso, exiſtentem *Joh. Chunrad d. hiſtor. morb. qui à Caſtr. ad raſtr.* &c. *c.* 10. *d cauſ. ſymptom.* ☿*rial. membr.* 6. reddere conatur, quam ſuo relinquimus loco. Quibus autem remediis huic ſymptomati, ſi moleſtum ſit, ſuccurri poſſit. *aphor.* 13. & 14. videre licet. Hoc tamen obſervandum, ne valentioribus alvum ſolicitare tentemus, cum malum plerumq; augeant; ſed humectantibus potius, ac lubricaniibus utamur. *Hartman. in prax. chymiatric.* ♀*ri tinctur. â giiij ad viij* cubitum ituro exhibitam, magnæ in alvo ſuppreſsâ eſſe efficaciæ, dicit. Cum verò contra nonnunquam SPONTANEÆ LARGIORES in affectu hoc accidere ſoleânt SOLUTIONES, ſæpiſsimeq; accidat, ut ægri ingentem materiæ atræ, ac picis inſtar nigræ & tenacis deponant ſaburram: uti hujus rei hiſtorias enarrant *Petr. For. l.* 9. *obſ.* 23. *Marcell. Donat d. Hiſtor. Med. mirabil. l.* 4. *c.* 9. *Schenck. l.* 3. *obſ. Philip. Heckſtet. decad.* 2. *obſ. rar. c.* 4. eæ, ſi cum tolerantiâ ægri, nulliſque gravioribus ſymptomatibus, ac levamine potius aliquo (uti ab autoribus jam enumeratis, adductæ ferè pleræq;) accidant, bonum præbent ſignum, naturæq; vitioſa ejicientis robur indicant; nec ulli terrorem injicere debent, præſertim ſi juſto iterum ſubſiſtant tempore: & *Hippocr. ipſe aph.* 48. *ſ.* 6. Spleneticis eas bonas eſſe pronun-

ciat

ciat. Cordis verò Angustiæ ac Palpitationi, quæ hoc malo detentis ſæpè ſatis moleſta eſſe ſolet, cordialibus ſupra propoſitis, remederi poteſt; Extra verò eundem in uſum *meliſſa*, parum contuſa, ac aquâ propriâ, vel alia cordiali, calida applicetur: idem alia ex cordialib9, tum *aquis* ac *pulveribus*, tum *ſuccis* & *oleis*, appoſita, præſtant. Calor verò ac Φλόγωσις quædam ſi corpus pervadat, uti fieri non raro ſolet, Sitimq; inducat, convenientibus eidem ſubveniatur refrigerantibus: ut ſunt *Decoct. hord. ſ. vel. c. paſſul. rad. ſcorzon. & Cc. Hadr. â Mynſ. infuſ. alter. ex ſucc. citr. flor. papav. errat. roſ. rubr. ac ſantal.* paratæ, *add. aqu. cichor. endiv. acetoſ.* aliisq; ut & *oxyſach. ſ. ſucc. rib. berber. vin. gran. &c.* Vigiliæ, in hoc affectu non infrequentes, ſi ſint nimiæ, viresq; proſternere videantur, abigendæ ſunt, ac ſomnus omni operâ conciliandus. Id quod fit, intra & extra adhibitis ſomniferis; ſemper tamen à mitioribus incipiendo: non facilè enim narcotica, niſi malo diu perſeverante, exque iſtis nihil levaminis ei accidente, ſunt exhibenda; cum ſpiritibus omnia ſint inimica. Fiant itaque vel ex *aqu. viol. nymph. lactuc. ſolan. papav. errat. endiv. roſ. hypnotic.* addit *ſirup.* ſimilibus, Potiones, vel ex *ſemin frig. major. & minor. papav. it. alb.* Emulsion. vel *ex iisd.* & *nucl. perſic. aquisq; ſalic. hyoſcyam* factæ, extra applicentur, aut *ol. roſ. viol. nymph. hyoſcyam. ungu. ſomnifer.* inungantur. Tandem etiam his nihil proficientibus, *opiata* ac *opium* ipſum, adhibeantur: de quorum præparatione uſu ac facultatibus, *Senn. l. 1. pr. p. 2. c. 1. it. Döring. tractat. d. Opio* videantur; & teſtatur *Horſt. l. 3. ep. ſ. 4.* ſe *Opium* ipſum hoc in caſu magno cum fructu ſæpè exhibuiſſe, extraq; *ſperniol. Crollij aqu. roſar. ſolutam* applicaſſe. Quæ verò præter hæc, affectus præſens ſymptomata ſecum ducere interdum ſolet, hic explicare nihil attinet, cum ſingula ſuis tractentur locis, tam anguſtisque contineri non poſsint cancellis. Finis itaque noſtræ hic ſit diſputationis.

Supremam denique ſuppliciter veneramur mentem, noſtris qui ſummo de culmine lucem infundit animis; ejus irradiare uti claritate intel-

 lectum

lectum noſtrum velit ſemper, Mentemque ſanam in corpore ſano tueri. Nec ullis tenebrarum nebulis obfuſcari eam patiatur, cæcitatisq; omnis detrahat velamina, caliginesq; diſcutiat ac abigat cunctas; corporisque robur nobis præſtet ſemper. Cui

SOLI LAUS, HONOR
ET GLORIA.

Clariſsimo Viro

DN. PAULO SCHRÖTERO

Med. Candidato, Amico & commenſali
dilectiſsimo, pro Licentiâ diſputanti.

TAndem fert fructum qui gnaviter uſq; laborat,
& ſua, dante DEO, munia ritè facit.
Hactenus in ſtudiis ſudaſti totus, & aris
deditus, aſsiduò vota precesq; litas.
Hinc divina ſuis te ditat gratia donis,
ut præſtes variis artibus eximiis.
Nunc quoq; promeritos phœbus tibi ſpondet honores.
præmia virtutum magna parata tenes.
Gratulor ex animo, voveoq; ut gloria creſcat,
Votaq; ſuccedant divite ſorte, precor.

Applaudeb.
Johannes Scharfius
Theolog. Lic. & Prof: P.

Jam

Jam tandem eximios, SCHRÖTERE, cupiſcis honores,
ſuprèmum titulumq́ medentum;
Quem pietas ardens, quem virtus, quem ſtudiorum
profectus bene promeruerunt?
À quo TE abſtraxit natura nobilioris,
novi quamq́, modeſtia ſumma,
Quæ benè pomeritos etiam reveretur honores,
& mage quàm decet usq́ veretur;
Cui ſola hæc inter laudes pulcherrima laus eſt,
auxilium à Domino omnipotente
Sic eſt: quæ inſtinctus Dius, ſacra juſſa requirunt,
hoc citò nunc monitus modò adimples.
Hinc ſpecimen præmittis, rem quàm dicere Grajâ
voce melancholiam ſòliti ſunt,
Hic benè vertat honos, mox felix utereq́ iſto
in patriæ bona plurima noſtræ.
Nigræ bili at enim, deſcribis, pulchra medela,
quam, accreſcat quoq́, dante Jehova!

amico veteri atq; domeſtico ſuo,
Cl. PAULO SCHRÖTERO, &c.
ita gratulatur

M. Andreas Sennertus, P.P.

Ad Virum

Clariſſimum atque Eximium

Dn. PAULUM SCHRÖTERUM

publicè diſputantem.

TE mox Hippocratis clariſsima dextera cinget
Imponens capiti ſerta decora tuo.
His quod ſis dignus, cariſsime PAULE, probabis
Scandens Leucoreæ pulpita nota ſcholæ.

Sic

Sic rectè, Muſis comitantibus, ibis ad aſtra,
Ut quivis palmam te meruiſſe ſciat.
Ipſe mihi multùm de tanto grator amico,
Quem verè doctum nomino, quemque pium.
Ægrotis certè felix medicatur anhelis,
Herbis conjungit qui pia vota ſuis.

M. Michael Wendelerus, P. P.

Quod commune malum doctis hypochondria tentat,
Verſutæ ingenium calliditatis habet.
Fallit, & obrepit, vix ut deprendere poſsis:
Poſt figit ſtabili triſtia regna loco.
Unde ſuas vires cunctos dimittit in artus,
Ac, mens perpetuò ut langveat ipſa, facit.
Quos non eliſit valetudo inſana labores?
Et (memini) quoties ars bona luſa fuit?
Sed nihilo affectum Schröterus ſegnius acrem
Aggreditur: cauſas, pharmaca, ſigna docens.
Rectè! habet ingenium: pietas ſuccurrit; & uſus:
Et quàm docta poteſt ingenioſus amor?

Cunradus David Bücher.

FINIS.